Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXX
B
51
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


RECTE LIBERE ET CONSTANTER
Ano. ætatis XXXVII.
NICOLAUS HOBOKENUS, ULTRAJECTINUS:
L.A.M. Philoſ. & Medicinę Doctor, ac in illuſtri Arnoldino Prof. Ord. & Aulæ Steinfurtenſis Archiater.
C. Hagens fe.
NAPOLI


Nicolai Hobokeni
ANATOMIA
SECUNDINÆ
HVMANÆ
Vltrajecti apud Ioh: Ribbium. 1669.

NAPOLI

Digitized by Google

NICOLAI HOBOKENI,
ULTRAJECTINI,
L.A.M.Phil. & Med.Doct. & hujus ac Matheſ.in illuſtri
ARNOLDINO Prof. ord. ut & ilhiſtr. ac generoſ.
DD. Comit. atque Aulæ Steinfurtenſis
Archiatri.

ANATOMIA
SECUNDINÆ
HUMANÆ,

Quindecim Figuris ad vivum propriâ
Autoris manu delineatis, illuſtrata.

AD
Nobiliſſimum Ampliſſimumquè
VIRUM,
D. NICOLAUM TULPIUM,
Medicum excellentiſſimum, Reip. Amſtelr.
Exconſulem, & Senatorem, & illuſtr. & Prę-
pot.DD.Hollandiæ ac Weſt-Friſiæ Ordd.
Delegat. Collegio adſcriptum.

Cum annexo S.
Spicilegio Epiſtolarum, rem potiſſi-
mum Generatoriam referentium.

TRAJECTI ad RHENUM,
Apud JOHANNEM RIBBIUM, 1669.

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO GRAVISSIMOQUE

VIRO,

D. NICOLAO TULPIO,

MEDICINÆ DOCTORI ET PRACTICO EXCELLENTISSIMO,

REIPUBLICÆ AMSTELREDAMENSIS EX-CONSULI & SENATORI;

ITEMQUE

ILLUSTRIUM AC PRÆPOTENTIUM DOMINORUM HOLLANDIÆ AC WEST-FRISIÆ ORDINUM DELEGATORUM COLLEGIO ADSCRIPTO,

FAUTORI SUO PLURIMUM HONORANDO

S. P.

No-

Digitized by Google

Nobiliſſ. Amp. Graviſſimoq;

DOMINO,

D. NICOLAO TULPIO,

Med. Doctoris Reip. Amſtelredamenſis Ex-Conſuli, & Senatori, itemquè illuſtr. & præpotent. DD. Hollandiæ ac Weſtfriſiæ Ordd. Delegatorum Collegio adſcripto, Fautori ſuo plurimùm honorando.

S. P.

Nobiliſſimè & Ampliſſimè Domine,

QUAM benignè, quàm amicè certè eo tempore, quo tui inviſendi occaſio noviſſimè dabatur, me exceperis, indeſinenti mens grata verſat memoriâ. Et eorum monumentorum anatomicorum ſatis. Memor ſum, quorum videndorum lar-

giebâre optatam copiam. Et quantùm ad oſtenſa in cæteris organa *auditoria*, fateor, elegantiùs aſſervata nulla vidi. Indè uſque alacriùs operam dare inſtitui, quò exemplum imitari optimum poſſem. In *Brutis* certè diſſecandis & aperiendis non ſemel experior me omnem *Auditûs* apperatum poſſe eruere; uti nòn ſine meorum, quibus oſtendo, admiratione cuncta & ſingula ejuſdem organa ſarta tecta ſervare. Et ſimulàc deſiderata deinceps ſuppetit ſubjecti humani aperiendi anſa, non committo, ut negligentiæ reus deprehendar. Quippe ad *Conjunctionis animæ cum corpore*, (de quâ quidem per exercitationem ſingularem, jam jam lucem viſuram, prò inſtituti poſtulatò ago), ad *ſenſuum* præcipuè *explicationem particularem* dum me accingo, animus eſt quàm ſpecialiſſima uniuſcujuſque organi ob oculos ponere, Apellis artificio in auxilium vocato.

In reliquis, occaſione illius controverſiæ, quæ *Johanni Abangelis* cum *Theodoro Aldes*, perſonatis Medicis, intercedit, & tunc temporis mihi quoque fiebat obvia: mei etiam muneris autumavi eſſe, ſi *Generationis* negotium omne recolligerem, & repetitâ operâ penſitarem, quęnam in ejus doctrinâ probè perſpectâ, à magnis viris præſtita hactenùs forent. Quænam imprimis *Harvejus*, quænam *Bartholinus*, quænam *Fabricius*, quænam *Veſlingius*, quænam *Highmorus*, quænam *Everardius*, quænam alii ſummi judicii, ſummæ induſtriæ, vigilantiæ & dexteritatis viri nobis eodem in negotio traderent. Imò quidnam recens nobis promitteret, & adverſus *Harvejum* ageret, memoratus *Theod. Aldes*; & quidnam rei cum hoc *Johannes Abangelis* haberet.

Obſervo autem, & ingenuè aſſero, optimè *L. Harvejum* in aurem

inſuſurrare : ut quæcunque à DD. tractantur, ad exactam experientiæ trutinam penſitemus; fidemque iis non aliter adhibeamus, niſi quatenus eadem indubitato ſenſuum teſtimonio firmiſſimè ſtabiliri deprehenderimus. Et memoratorum autorum laudato exemplo monitus, nihil quicquam tam obſcuro, fallaci certè in negotio affirmare & aſſeverare intendo, niſi cujus evidens mihi, ac diſtincta conſtet ratio.

Hinc ad illuſtranda atque ſtabilienda ea, quæ *Cognitionis* meæ *Medicæ Phyſiologicæ Subſect.* II. *cap.* I. *Part.* IV. *& ult. Art.* 3. *capitulo* I. *&c.* paſſim trado: noviſſimas quas potui, arripui humanæ Genituræ luſtrandæ occaſiones. Et quæ *Partum* quidem, ac *Fœtum excluſum* concernant, attentiùs, quàm antehàc examinare pergo: quorum quoque omnium juſtè congeſtorum, & ad umbilicum, ut ajunt, perductorum, copiam, ſi Deus vo-

luerit

luerit benignus, ſuo tempore lubens faciam.

Ut autem hujus mei animi ſignum vel exiguum prȩmitterem, luci dare ratum duxi haſce SECUNDINÆ HUMANÆ noviſſimas meas *obſervationes*, atque *Figuras*, ne fucus mihi, aut aliis me conſcio fieri ullo pacto poſſet, *ad vivum propriâ manu delineatas*. Eaſque tuo inſcribo excellentiſſimo nomini, tum propter amicum mihi demonſtratum animum; tum maximè propter immenſas gratias, quas ab univerſo noſtro ordine (cujus nobilitati, honori & commodo tàm locuples per te indies accedit incrementum) tibi habendas & agendas teſtor.

ARTICULUS I.

Univerſim, quæ in Secundinâ fætûs feminini obſervata ſunt, recenſentur.

§. 1.

VT autem eo, quem ſervavi, ordine rem omnem enarrem: noviſſimè elapſi *Octobris initio* partui præſens, ac ut quàm facillimus redderetur, curam rogatus habens; fętum vidi *femininum* in lucem edi. *Secundinas*, probè ſubſequentes, ſuſcipiendas, & mihi aſſervandas curavi. Atque examen per ſeceſſum mecum inſtitui, quàm accuratiſſimum potui.

§. 2. Et primò quidem ipſam *Placentam*, eâ parte quâ *Uteri* materni interiorem ſuperficiem reſpexiſſet, intuitus ſum. Dein eâ parte, quâ *Fætum* reſpicere notâram. Sicque

Sicque *Membranas*, quæ fętum involverant, ſingulas. Tertiò placentæ innexa ac contexta *Vaſa*. Quartò *ſubſtantiam* Placentæ *interiorem*. Quintò *Funem*, & ita ejus juxta ductum Vaſorum *ſitum*, *concurſionem*, *contorſionem*, & cum Umbilico fætûs *conjunctionem* univerſim. Et ſextò denique eorum *conſtitutionem* atque *uſum* particulatim conſideravi.

ARTIC. II.

Quæ in placentæ uterinæ eâ parte, quâ uterum reſpicit, obſervata ſunt, particulatim referuntur.

§. I.

OMNIUM primò, inquam, univerſum SECUNDINÆ apparatum in eam inverti partem, quâ UTERUM ſpectat. Tabulæ impoſui, attenteque con-

contemplatus, deprehendi maſſam quandam Membranis, fætum involuere ſolitis, proximè junctam, & incumbentem.

§. 2. Cujus *Figuram* quod attinet: irregularis quidem cernebatur, quodammodò tamen ad circularem vergens, juxta conſimillimam ſpeciem, *Figura* I. exhibitam.

§. 3. *Superficies* autem valdè inæqualis erat, & inſtar avulſæ maſcæ cereæ, aſpera: multis *prominentiis* conſpicua. Quas nonnullæ *declivitates*, *rimæ*, ac majores minoreſque *ſulci* affabrè interſtinguebant.

§. 4. Ut facilè appellationis *Placentæ* rationem agnoſcerem: propter agnitam ſimilitudinem, quàm referebat cum arte facto libo, aut pane, rimas ducente. A quo diſcriminatur, per ſubjectum *Uterum*, cujus interiori ſuperficiei adhęrere ad partus tempora uſque ſolet; undè *uterina* dicitur.

§. 5. Verùm *Spongiæ* majori, ſanguine

guine multo tinctæ, adeo ſimilis, videbatur, ut nihil ſimilius aſſererem.

§. 6. Et per ſuperficiem ac membranam, cui (ut mox clarius interpretabor) proximè juncta incumbebat, *coagulati ſanguinis maſſulæ* fibroſa varia ramificatione diſperſæ, conſpiciebantur, quorum nonnullæ ſulcos Placentæ penetrabant.

§. 7. Uti & *Conjunctionem* cum membranâ *Chorio* luſtravi. Et vidi eſſe firmiter adeò connexam Placentam, ut ſine vaſorum, imò membranæ ipſiuſmet nominatæ læſione ſeparari non poſſet, vel attentè, & dedititiſſima opera ſecando.

§. 8. Membranas autem tantùm *duas* obſervavi. *Chorion, & Amnion*, illam hac longè craſſiorem.

§. 9. Eaſque ſeorſim extenſas, conſimiliter eâ, quâ Uterum reſpexerant, parte proximè conſpexi. Et in priore, *Chorio rugoſitatem*, & *Pinguedinis* productiones tranſpa-

rentes ad aliquam à Placenta diſtantiam obſervavi.

§. 10. Ut aſſererem ipſammet membranam Placentæ uterinæ ſenſim attenuatam eſſe propaginem. Quippe quæ, pręter notatam rugoſitatem, multas inæqualitates, & ſanguinea filamenta; hîc magis, illic minùs apparentia, in ſuâ ſuperficie referebat.

§. 11. *Magnitudinem* deinceps Placentæ dimetiens, deprehendi eſſe ejus *diametram*, pręter propter *quartam ulnæ Hollandicæ partem cum una trigeſima ſecunda*, *longam*.

§. 12. *Subſtantiam* verò deprehendi *carnoſam* quidem; non autem *parenchyma* genuinum.

§. 13. Quemadmodùm *interiora*, ex mente *Figuræ* VIII. luſtranti, plus quàm manifeſtum fieri potuit. Deprehendi enim innumerarum, ſine ordine, ſine ſerie, hîc magis, illic minùs intricatarum, *fibrarum carnearum*, cum *vaſorum umbilica-*

lium

lium propaginibus atque *extremitatibus fibroſis ac filamentoſis*, *contextum ac connexionem.*

§. 14. Quam etiam connexionem *Color*, variè diſcernebat. Quippe *carnearum fibrarum* color ex *nigro rubeſcens*: *Venoſarum* verò, atque *arterioſarum propaginum* ramificationes *ſubalbicantis* coloris deprehendebantur.

ARTIC. III.

Quæ ea Placentæ parte, qua Fœtum reſpicit, obſervata ſunt, particulatim narrantur.

§. 1.

DEIN Placentam eam cum membranis inverſam, in tabulam expandi, ut eam juxta partem perluſtrarem, qua FOETUM excluſum reſpexerat.

§. 1. Atque omnem *Placentæ*,

 Mem-

Membranarum, *Funis & Vaſorum umbilicalium Subſtantiam*, *Figuram*, *ſitum ordinem ac connexionem*, qua potui accuratione, depinxi: ex mente *Figuræ* II.

§. 3. Primò inquam, quod ad *Placentam* memoratam: ejus exteriorem *ſubſtantiam* heterogeneam valdè obſervavi.

§.4. Hic enim atque illic ex *rubro veſcebat*, ad *violacei* coloris ſimilitudinem, magis minùſque. Hic atque illic varia latitudine *flaveſcebat*.

§. 5. Loca autem flaveſcentia aperui: & non glanduloſam, ſed *fungoſam* quandam *pinguedinem*, immediatè ſub Chorio in longum & latum varia extenſione conſpicuam.

§. 6. Quemadmodùm ex rubro liveſcentes partes incidens, comperi eſſe *carnoſiorem* placentæ *contextum*.

§. 7. Deinceps in Placentæ ſuperficie, ratione *Figuræ*; obſervavi notabiles inæqualitates, eminentias, protuberantias, inſtar *colliculorum*: & de-

& declivitates, inſtar *fovearum*, etiam *tumulorum* aptè diſcriminatorum ſe habentes.

§. 8. Et ſupra eam omnem ſuperficiem diſcurrentia conſpiciebam *Vaſa*, duum tantùm generum.

§. 9. Nimirùm (1.) *Venoſas* ramificationes plurimas, majores, minores; craſſiores ac tenuiores: imò multa venularum *capillamenta*.

§. 10. Quarum potiſſima & *maxima pars* cum Arteriarum umbilicalium capilaribus propaginibus *juncta* animadvertebatur.

§. 11. Tenuiſſima & *minima* pars ferè *ſolitariò* verſùs exteriora placentæ, ejuſque limbum diſperſa cernebatur.

§. 12. Et quod notabile, nonnullas venarum *Contorſiones* ac *intorſiones*, ad ſpeciem cochlearium inverſorum accedentes.

§. 13. Et (2) *Arteriarum* productiones nonnullas grandiores, ac craſſiores tenuioreſque, variâ diva-

ricatione per ſuperficiem eam diſtributas reperi.

§. 14. Quarum *aliæ* cum venoſis ramificationibus aut potius radicationibus vario amplexu conjungebantur; *aliæ* eaſdem quaſi interſecando, magis minùſve obliquè tranſcendebant; *aliæ* iiſdem implicabantur.

§. 15. Denique Declivitates varias obſervavi, majores, minores; magis minùſque profundas: quas ob ſimilitudinem *Foveas* appellandas cenſeo.

ARTIC. IV.

Quæ in Fœtum involventibus, Membranis obſervata ſunt ſeorſim referuntur.

§. 1.

AD ipſam porrò *Membranarum* contemplationem quod attinet: inveſtigavi ulteriùs in earum *numerum*, *ſubſtantiam*, *ſuperficiem*, & *connexionem*.

§. 2. Nu-

§. 2. *Numeri* intuitu, deprehendi iterùm nonniſi membranam *duplicem*.

§. 3. Unam quæ proximè Fœtum involutum inveſtiviſſet, *Amnion* appellatum.

§. 4. Alteram, quæ ſub eâ immediatè adeò placentæ jungitur, ut ejuſdem continuatam ſubſtantiam videatur demonſtrare; cui nomen, jam memoratum *Chorion* eſt.

§. 5. Et quantùm ad prioris, AMNII *ſubſtantiam*: eſt nihil aliud, quàm tenuiſſima & pellucida membrana; juxta aliarum *membranarum* naturam ac proprietates ſe habens.

§. 6. Quæ quidem (ut, quàm accuratè poſſum, definiam) eſt *tenuiſſimarum fibrarum nervearum, affabrè factus contextus*.

§. 7. Ut vel ad lucernam admotam, non aliam eam, quàm planè *homogenearum*, nullis vaſis arterioſis, aut venoſis conſpicuam deprehen-

henderim. Uti quidem ex eo clarè colligebam, quia vaſa ipſa per filamenta tenuiſſima in extremis placentæ terminari videbam.

§. 8. Quantùm verò ad poſterioris, mediatè fœtum involvere ſoliti, Chorii *ſubſtantiam*: illam craſſiorem, longè firmiorem, & eatenùs heterogeneam deprehendi, di, quatenùs *pinguedinis proceſſus* nullos, à placentæ ſuperficie productos, in eâ manifeſtos obſervabam.

§. 9. Et quod ad *ſuperficiem Amnii*: eam eſſe maximè æqualem illicò deprehendi.

§. 10. In ſuperficie verò *Chorii*, ſecundùm *craſſitiem* inæqualem, *rugoſitatem* (etiam ſuperiùs notatam) annotavi, & *laxitatem* probè obſervavi.

§. 11. Et quod ad *Connexionem* (1.): *Amnion* à *Chorio* facilè diſſolvi; ac ſeparari poſſe, actutùm animadverti. Juxta demonſtrationem

nem *Figuræ* I, II, *& nominatim* III.

§. 12. Et (2.) ſeparato *Amnio*, *Chorii* talem cum placenta connexionem reperi, ut difficillimâ operâ vel ad exiguam partem eam à placentæ ſubſtantiâ, per ſectionem vel attentiſſimam ſepararem.

§. 13. Et certè quînam poſſet *Chorion* ſeparari, cùm vaſa prænominata ei adeò intexantur, ut continuo proceſſu variam & intimam cum ſubſtantia placentæ conjunctionem apertè probent. Secundùm ea, quæ in *Figura* VIII. ſpeciatim delineo, & noto.

§. 14. Et quod ad membranarum conſtitutionem ac *compoſituram propriam*: *Amnio* (ut jam monui) longè *firmiorem* deprehendi *Chorion*. Utramque tamen æquabiliter in longum & latum extenſam.

§. 15. Inſuper notavi, *Liquorem* quendam per tabulæ, cui omnem hunc Placentæ apparatum impoſue-

ram; ſuperficiem magis magiſque diffluere, *urinæ ſanorum* valdè ſimilem. Quem etiam facilè à ſanguine hinc indè dignoſcere valui.

§. 16. Ut dubitarem: num hic ex intermedia *Amnii & Chorii* commiſſurâ proflueret?

§. 17. *Odorem* aliqualem; ſed quia ſeorſim eum Liquorem haud collegeram, accuratè, aut juſtè non potui olfacere.

§. 18. *Saporem* guſtu quoque non potui exactè percipere, propterea quod ſanguinem admiſtum obſervarem.

§. 19. Etiam ſuſpicio erat, annon urinæ Puerperæ quippiam admiſtum fuiſſet? Ut quouſque melioris occaſionis beneficio rem eam accuratiùs examinaſſem, judicium meum ſuſpendendum fore exiſtimarem.

AR-

ARTIC. V.

Quæ in Fune, ſeu Inteſtinulo ſeparatim obſervata ſunt, enarrantur.

§. 1.

HIsce hactenùs perſpectis & delineatis, ad Funis (ſeu, uti DD. nonnulli eum appellare ſolent, *Inteſtinuli*, *Funiculi*, *Laquei*, &c.) progreſſus ſum perveſtigationem.

§. 2. Et primò Funis contemplatus ſum *Longitudinem*, dein Latitudinem & *Craſſitiem*. Et tunc obſervabilem *Figurationem* ac *ſuperficiem*. Deinceps *Inveſtituram* ejus. Sicque tandem ad interiora progreſſus, *Vaſa umbilicalia* nominata per ejuſdem ductum perſecutus ſum.

§. 3. Et quod ad *Longitudinem*: ſi eam quæ abſciſſa, & umbilico juncta,

ƈta, ex more ſolito, remanſerat partem demerem, deprehendebatur Funis prçter propter *tres quartas ulnæ Hollandicæ* longus. Vel *Spithamas* meas fere *duas cum dimidio.*

§. 4. Et quod ad Latitudinem ac *Craſſitiem*; fere adæquabat Funis minimum meum digitum: quemadmodum, quam potui, exacte deſigno per *Figuram* I, *& imprimis* II.

§. 5. Et quod dein ad *Figurationem:* non potui non mirari ſapientiſſimi opificis & Conditoris artem. Deprehendi enim 1. *Intorſiones* ac *convolutiones* varias, alias etiam aliis manifeſtiores.

§. 6. Et 2. *Plicaturas*, ac *rimularum lineamenta*, ex inæquali membranæ inveſtientis laxitate oriunda, *alia* aliis rariora, *alia* preſſiora, *alia* aliquali ſerie & ordine ſervato, *alia* nullo.

§. 7. Quemadmodum ad ſpithamæ fere à placenta diſtantiam, accurate intueri in Fune oportuit il-

lam

lam *Interſtinctionem Plicæ*, *medio tramite per obliquas preſſarum plicarum verſùs latera divaricationes*, *procedentis*. Quàm *Figurâ* 11. depictam habes.

§. 8. Et *ſuperficiem* quoque notare debui, eſſe cætera tam æqualem, tam lævem; & ad tactum certe tam mollem; ut ex ſerico molliſſimo confectam referret veſtem.

§. 9. Et *Colore* maximam partem *albicantem*; uti nonnullis quoque in partibus, circa vaſorum nominatim contentorum intorſiones, ex *cinereo rubeſcentem*.

§. 10. Uti & varias ex *rubro nigricantes Maculas*, notavi, alias aliis manifeſtiores, *oblongas*, *circulares* fere, circa convolutionem protuberantias obtinentes.

§. 11. Quas dum, diſſectâ inveſtiturâ inquirerem: comperi *Sanguinis*, *arteriis*, non vena, *concluſi* tranſparentias. Uti in ſequentibus pluribus.

§. Porrò

§. 12. Porro ad *Inveſtituram* quod attinet: deprehendi extimam membranam eſſe continuatam eam, quam ante *Amnium* appellare dixi.

§. 13. Quam etiam, juxta mentem *Figuræ* III, & X. ſeparavi ad aliquam Funis partem, ſupra concurſum nimirum contentorum vaſorum, ab umbilico, cui junguntur, *umbilicalium* nominatorum. Ulteriùs enim ſeparare optatò nequivi.

ARTIC. VI.

Interior Funis conſtitutio explicatè tradititur, præſertim Vaſorum umbilicalium exteriora narrantur.

§. 1.

ET Funis *interiora* tùnc perluſtrans, inveni *ſubſtantiam* ejus totam *fibroſam*, *membranoſam*, & *humidam*; cui affabre inſerta quaſi, deli-

delitеſcebant *vaſa teretia*, numero tantum *tria*.

§. 2. *Duo* quidem tenuiora, & albicantia, quæ *Arteriæ* erant: & *tertium* craſſius, ac rubicundius æqualiter viſum, quod manu &unicam referebat *Venam*: juxta delineationes *Figuræ* IV, XIII, *&* XV.

§. 3. In quibus perquirendis & examinandis, quam licuit, operam impendi. Et primò pręter dictum differentem *colorem*, & magnitudinem ac *craſſitiem*) eam obſervabam inter *Venam* atque *Arterias* diverſitatem: quâ *Venam medio ferè tramite*, & *æquali ductu tranſeuntem* comperiebam.

§. 4. *Arterias* vero inſtar tubulorum flexibilium, variè *intorqueri*; & inæquales illas *efformare convolutiones*.

§. 5. Inſuper *Venam* adeo firmiter innexam deprehendi, ut difficillimè eam, vel ad aliquantillam partem, à Funis ſubſtantiâ

me

§. 9. Et 2. ſtylum convenientem ab unâ ad alteram Venæ dictæ extremitatem inturbatè inſerui; hinc atque illinc, quouſque *fune* involveretur. Sed per ſuperficiem *Placentæ* diſcurrentes ramos aliter ſe habere comperi: quippe qui verſùs Placentam factam inſertionem minùs admitterent, liberè conceſſa ea verſus funem, & fœtûs umbilicum.

§. 10. Et in *Arteriis* qouſque fune comprehenderentur, 1. *Nodulos* varios, ad *gemmularum* ſpeciem ſe habentes, obſervavi.

§. 11. Quos dum perquirerem, eos deprehendi ratione ſanguinis, referre *maculas* prænominatas. Juxta *Figuras* V. X. *&* XIII.

§. 12. Et eos aperiens (2.), *Valvulas*, ex tunicæ laxioris plicatura orbiculari efformatas, reperi, recurſum ſanguinis arterioſi à placenta verſùs umbilicum Fœtûs inhibentes: media gemmulæ tunica à copioſiore ſanguine diſtenſa. Quemad-

modùm *Figuræ* demonſtrant VI, & VII.

§. 13. Et quomodonam vaſa hæc (Vena & Arteriæ) terminarentur circa fœtus *Umbilicum* demonſtrat *Figura* I. Circa *Placentam* verò quomodò concurrerent demonſtrat *Figura* VIII.

ARTIC. VII.

Relatorum ulterior inveſtigatio, quid præbuerit in Secundinâ, recens nati puelli narratur. Et 1. in Placentæ ea, quâ uterum reſpicit, parte quidnam notatu dignum occurrit.

§. 1.

QUIBUS, propter ſubjecti ulteriùs negatam aptitudinem, acquievi, donec XXVIII. *Octob. ſubſequent.* Aliud nactus eram, recens cum *puello* excluſum.

§. 2. Do-

§. 2. Domum meam mitti curavi illicò à partu: & ſtudio alacri, atque repetita ſedula cura, quæ in prioribus obſervaram, obſervare conatus ſum. Et ſimulac ipſam Placentam cum annexis, in tabulam collocaram, Naturæ varietatem atque luſum expertus ſum.

§. 3. Et primò quidem in ea Placentæ parte, qua uterum reſpexerat, animadverti diverſam a priore, & *Figuram*, & *ſuperficiem*.

§. 4. *Figura* enim longè irregularior: uti & inæqualitates *ſuperficiei*; nominatim *Sulci* majores, latiores, & ferè continui deprehendebantur. Quemadmodum *Figura*, quam tunc delineavi, XI. exhibet.

ARTIC. VIII.

Quidnam in Placentæ ea parte, qua Fœtum reſpicit, notatum ſit.

§. 1.

ET eandem invertens Placentam, qua parte *Fœtum* reſpexerat, intueri perrexi. Et tum *ſuperficiei* ejus, tum *Vaſorum* percurrentium, tum ipſiuſmet *Funis* inſignem comperi differentiam.

§. 2. Quod ad *Superficiem* Placentæ; eam longè inæqualiorem, hîc atque illic, inſtar majuſculorum collium eminentibus, partibus, per depreſſas quaſi valles diſcriminatis.

§. 3. Quinimò magnam circa limbum partem varii, potiſſimùm rubicundi, ſanguinei coloris deprehendi.

§. 4. Uti

§. 4. Uti eam, facta per inciſionem apertura, deprehendi *ſanguinis coagulati referre maſſam*, in longum & latum ſub Chorio extenſam, parenchymati hepatico non diſſimilem.

§. 5. Quam à reliqua Placentæ propria & ordinaria ſubſtantia facilè poteram diſcernere, quatenus fibrarum nulla, etiam filamentorum, aut venoſorum, aut arterioſorum nulla apparebat communio.

§. 6. Et, quod rarum; *Arterias*, earumve productiones notabiles nullas in ſuperficie reperi.

§. 7. Vaſa autem *venoſa* extraordinem verſus unam plagam verſa & inflexa, conſpiciebantur; ex mente *Figuræ* IX, *&* X.

§. 8. In quorum proceſſu notabilem valdè ramificationum venæ memoratæ umbilicalis convolutionem, divaricationem, atque in placentæ ſubſtantiam interiorem inſertionem & inſinuationem, non potui non

obſervare, & per *Figuras* allegatas demonſtrare.

§. 9. Inſuper membranam *Amnion* non potui integram a chorio ſeparare, niſi ea parte, quam conſpiciendam exhibeo *Figurâ* x.

§. 10. Et quò eorum, quæ ſuperiùs à me aſſerta ſunt de membranarum *Amnii & Chorii* conſtitutione propria, manifeſtior conſtaret ratio: ad lucernam iterum atque iterùm admovi; & vaſorum venoſorum, aut arterioſorum ramificationes neque in illa, neque in hac obſervare potui.

§. 11. Sed, uti antê notavi, eas omnes *vel* in ſubſtantiam placentæ interiorem inſeri; *vel* per ſuperficiem capillamentorum, tenuiſſimorum ſpecie diſcurrere, & circa limbum terminatas videri; etiam non ſine inſinuatione in exteriorem placentæ ſubſtantiam.

§. 12. Ut quicquid à parte *Chorii* ea, qua, uterum reſpexerat, præter ſub-

ſubſtantiam peculiarem ſuprà relatam, deprehenderetur; nihil aliud referret, quàm *filamenta* quædam *ſanguinea retiformia*, ſuperficei inæquali exterius, hîc atque illic ſuperinducta adeò, ut ſpongia delere poſſem.

ARTIC. IX.

III. *Quidnam in Fune iterùm annotatum fuerit, explicatur.*

§. 1.

ET quantùm ad FUNEM, inſignem adinveni differentiam: tum ratione *Longitudinis*, tum ratione *ſuperficiei*, tum ratione *Figuræ*, tum denique ratione *Vaſorum contentorum*.

§. 2. Et primò, quod ad LONGITUDINEM Funis attinet: deprehendi eſſe præter propter *unius Hollandicæ ulnæ*.

§. 3. Et quod ad SUPERFICIEM: mirabilia illa, quæ in priore notaram, plicarum lineamenta obliqua, & preſſa non potui animadvertere: ſed ferè *æquabiliorem ubique lævitatem.*

§. 4. Et *Colorem* priori quidem conſimillimum deprehendi: *maculas* verò *permultas*, *nodorum* in Arteriis umbilicalibus deſignatrices.

§. 5. Et ratione FIGURÆ, frequentiores obſervavi Funis hujus *contorſiones*, & *gyrationes*; certè mirabiles adeò, ut peculiariter delineandas arbitratus ſim. Quemadmodùm etiam *Figura* x. ad vivum, quàm potui accuratè, delineavi.

§. 6. Et tandem ratione VASORUM, ſine contentorum (I.): in hoc ſubjecto comperi *Venam* admodum amplam, atque patentiſſimam. *Arterias* autem præcedentibus aliquanto tenuiores hîc obſervavi illicò.

§. 7. Et dedita opera harum veſtigia

ſtigia ſecutùs, plurimos reperi arteriales *nodos*, per memoratas maculas indicatos. Quemadmodùm ipſa *Figuræ* x. demonſtrat interpretatio: ubi ad funis finem prænotabilem unum delineo.

§. 8. Et quò antè animadverſis majorem conciliarem certitudinem: ipſarum *Arteriarum*, atque *Venæ* ductum perſecutus ſum. Et (1.) dum vena contentum ſanguinem preſſione digitorum moverem per Funem deorſum verſus placentam: deprehendi in placenta motum ejus ſiſti. Contrà ſurſum, verſus fœtûs *umbilicum* dum moverem ſanguinem: facilis, ſine obſtaculo obſervabili ullo procedebat ejuſdem promotio.

§. 9. In *Arteriis* vero (2.) contra ſe rem habere, iterum atque iterum comperi; & evidentiſſimè didici ex *Nodorum anatome*. Juxta mentem *Figuræ* XIII, & XIV.

ARTIC. X.

IV. *Quidnam in Funis parte Umbilico proxima, obſervatum ſit, additur.*

§. 1.

ET, ne quid intentatum in hoc ſubjecto prætermitterem (cum puellus hic à partu mox moreretur:) etiam eam Funis partem abſcidi à cadaveris umbilico, quam juxta ordinem & morem ab Obſtetricibus relinqui ſuprà quoque annotavi. Juxta mentem *Figuræ* XII.

§. 2. Aperui tum *ſubſtantiæ* Funis illic loci *conditionem*, tum *vaſorum* contentorum *numerum*, *conſtitutionem* peculiarem, *figuram*, *colorem*, mutuum *coucurſum*, ac *ſitum* accuratè perluſtraturus.

§. 3. Et

§. 3. Et primò conſimillimam reliquæ, Funis *ſubſtantiam* hîc adinveni.

§. 4. Et ſecundò, quoad *Vaſa*; (1.) tantum *tria*, ante nemorata eruere potui.

§. 5. *Urachum* vidi nullum, aut ejuſdem *aperturam*.

§. 6. Et (2.) *nullam* ſanè in *Venæ* umbilicalis illa portione *valvulam* videre potui.

§. 7. Sed ejus fungi vice ſuſpicatus ſum membranę venę ipſiuſmet *Laxitatem*. Ne puta ſanguis à placenta verſus fœtus umbilicum progredi ſolitus, relabatur verſus eandem *placentam*.

§. 8. Uti vice verſa, valvula in *Arteriis* demonſtrat impedimentum, quo minus ſanguis arterialis relabatur verſus fœtus *umbilicum*.

§. 9. Inſuper *membranam* Venæ hujus non potui aliam, quam *ſimplicem*, *tenuem* obſervare.

§. 10. Cujus tamen præſervationi,

ni, ac firmitudini ſerviret ipſamet *ſubſtantiæ funis inveſtitura.*

§. 11. Quippe quæ licet ei cum *Arteriis* communis obſervetur: tamen peculiari ratione *Venæ* juncta deprehenditur, ut *nonniſi difficulter ab ea ſeparetur.*

§. 12. Contrà quàm in *Arteriis duabus* adhucdùm apparuit. Quippe facile has à Venâ & funis ſubſtantia ſejunxi, & ſeorſim perquirendas, collocare potui. Juxta ipſiſſimam *Figuram* XIII.

§. 13. Separavi autem, quàm potui rectè, *Venam* à ſubjecti funis inveſtitura, juxta *Figuræ* XV. nutum.

§. 14. Et (3.) *Macularum* in Arteriis eam rationem eſſe, ulterius comperi, ut earum illic obſervare valuerim *tunicam ſimplicem, tenuem, raram.*

§. 15. Ut (4.) *Nodorum* in iiſdem conformatio dependeret ex tunicæ modò obtinente duplicitate

(juxta

(juxta communem *Arteriarum* conditionem atque inveſtituram) ac denſitate; modò obtinente ſimplicitate, diſtenſione, tenuitate & raritate.

§. 16. Quemadmodum, ubi *Nodorum* unum atque alterum aperirem, nominatim ubi tranſverſim (juxta *Figuram* XIV.) diſſecarem: inveniebam una atque altera extremitate tunicæ interioris du plicaturam inſignem; medio loco tunica exteriore ſola fere conſpicua, & ſanequàm per arterialem contentum ſanguinem diſtenſa.

§. 17. Ut inſtar *cataractæ duplicis* Arteriam ſe habere illic loci diſcerem; ne ſcilicet ſanguis ab umbilico Fœtus verſus placentam uterinam diſtributus, ſubito nimis prorueret: & imprimis ne ad placentam dimiſſi ſanguinis quicquàm regurgitaret facilè verſus dictum umbilicum.

§. 18. Hoc ènim indicari colligebam ex *valvulæ*, illic loci repertæ, *forma*.

§. 19. Quo-

§. 19. Quoniam ea parte, quâ fœtus umbilicum reſpexerat, ad *rimulæ* formam hiare deprehendi arteriam. Altera vero parte, qua uterinam reſpexerat placentam, ad ſpeciem *foraminis rotundi anguſtioris*: juxta delineationem *Figuræ* allegatæ XIV.

§. 20. Denique admirabilem *Funis cum Umbilico* fœtus contemplatus ſum *Conjunctionem*, verè inſertionem, ei conſimilem quam in ſurculis, arboris trunco inſitis, quotidiana experientia videmus.

§. 21. Quia autem per parentum neſcio quamnam, ineptam ſaltem, de Anatomia præconceptam opinionem, non licuit ipſius *Umbilici interiora* perquirere; ulteriorem indaginem differre oportuit ad meliorem occaſionem.

§. 22. Et, ut hoc ſuperaddam verbo, circa *Liquoris*, per tabulatum obſervabili copia diffluentis, conſiderationem repetitam. Iterum, inquam,

quam, animadverti Liquorem, juxta Placentæ, tabulato impoſitæ, latera magis ac magis profluere; *Colore* ferè ſanorum *Urinam* referentem. *Sapore* etiam *ſubſalſum.*

§. 23. Verum cum ejus examen hoc pacto inſtitutum incertum deprehenderem, etiamnum non potui quicquam de ejus genuino *ortu*, *progreſſu*, ac *collectione* aſſerere.

Hæc ſunt, *nobiliſſime & ampliſſime Domine*, quæ prodromi vice veniant oportet. Quòd autem *Uſus* horum omnium & ſingulorum rationem ferè prætermittam, inſtituto præſenti imputes velim. Et abunde ejus habitam conſiderationem animadvertere licebit, tum in *Cognit. meæ Med. Phyſiologicæ loco ſuprà citato*; tum in ulterioribus ſuper *Generatione Hominis* componendis, Diſquiſitionibus ſpecialibus.

Accipe hæc itaque hilari, ut ſoles, ac benevolo vultu: &, quæ tua eſt probatiſſima humanitas, bene

faciendi

faciendi meam voluntatem, non vires metire perge. Interimque vale & vive adhucdum multos ad annos, bono & dulciſſimæ patriæ; & rei publicæ literariæ, & ſpeciatim nobiliſſimi Ordinis noſtri; voto.

Tuæ nobilitati & amplitudini

Dabam Steinfurti,
xxix. Novemb. ſt. v.
MDCLXVIII.

Submiſsè devoti

N. Hoboken.

QUINDECIM

FIGURÆ,

EARUMQUE

Dilucida Explicatio.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

FIGURARUM EXPLICATIO.

FIGURA I.

Secundinæ, *cum* fœminino *fœtu excluſæ, ſeu Placentæ uterinæ, una cum membranis ac Fune, delineatio, ea parte inſtituta, qua uterum ſpectat.*

A. A. A. A. Placentæ uterinæ, ſeu Hepatis uterini moles, ea qua uterum ſpectabat, parte delineata, & juſta proportione, & magnitudine, qua in lucem excluſa obveniebat, obſervabilis.

B. B. B. B. Membrana Chorion in tabula extenſa tali quali parte, ad tantò clariorem diſcriminationem ita delineata.

C. C. C. C. Membrana Amnios dicta, quæ Fœtum proximè circumcingit, uti & Placentam nominatam, qua Funis vaſa umbilicalia continens, porrigitur.

D. D. Funis ille vaſorum umbilicalium reconditorius ac præſervatorius, ejus craſſitiei, qua obvenit.

E.E.E.E.E,&c. Sulci, alii aliis profundiores, ſubſtantiæ placentæ, ab uteri membrana rugoſa avulſæ, interiorem conſtitutionem carneam fibroſam monſtrantes.

 F. Sulcus

F. Sulcus profundus valdè, & latus circumquaquè variis protuberantiis conſpicuus.

G.G.G.G.G.G. Protuberantiæ varię placentæ ejuſdem, juxta ſulcos dictos obſervatu dignæ.

H.H.H.H.H.H. Protuberantiæ exiguæ aſperitatibus circularibus, oblongis, & ſulculis rimuliſquè multifariam concurrentibus, diſtinctæ.

I. I. I. I. I. I. Inæqualitas ſuperficiei ejuſdem, in longum variè productis ſulculis, rimulis ac fiſſuris à prioribns diſcriminata.

K. K. Pinguedinis, qua Chorion gaudet, difformiter valdè, modò denſiùs inductæ, utcunque rarioribus nubeculis ſimilis, veſtigia; cum ſanguineis filamentis variâ obduci viſis.

L. L. Tranſparens per membranas Funis memorati pars, placentæ proxima.

FIGURA II.

Placentæ uterinæ, unà cum Fune & Membranis acceptæ delineatio, ea parte facta, qua fœtum ſpectat.

A. Extremitas Funis, vaſa umbilicalia continentis, qua abſceſſus erat, ad digiti præter propter diſtantiam à Fœtus umbilico.

A. B. C. D. Funis illius naturalis in Placenta ſitus, connexio, ſingularis configuratio, longitudo, & juſtè obſervata craſſities.

B. C. Notabiles contorſiones, preſſis plicaturis obliquè deſcendentibus factæ: accedente in B. juxta longitudinem medii quaſi funis interſtinctio per con-

Digitized by Google

Digitized by Google

conſpicuam ſatis plicam, inſtar fiſſuræ ſe habentem.

D.D.D.D.D.D. Vaſa arterialia, ex fune contorto A.B.C. derivata, tanquàm à trunco, duplicis ſupple concluſæ Arteriæ.

E.E.E.E.E.E.E.E. Subflavæ partes, per utramque membranam tranſparentes, pinguedinis indices. Quarum nonnullæ ad pollicis latitudinem extendebantur, & & in altum inſtar colliculorum exſurgebant.

F. F. F. F. F. Violacei ferè coloris ſubſtantia Placentæ tranſparens, etiam variis inæqualitatibus protuberantiis, declivitatibus ſinuliſque hîc illic conſpicua: ſupra cujus ſuperficiem ſub Amnio (utpotè communi cum fœtu inveſtitura) quaquaverſum diſtribuuntur, ac producuntur, varia in via facta tum ſejunctione, tum conjunctione & amplexu; tum tranſcenſione, & quaſi decuſſatione; tum incurvatione, inſertione & anaſtomoſi, Venæ & Arteriæ.

G. G. G. G. Protuberantiæ extremitatum vaſorum, ubi notabiliter placentæ interiori inſeruntur. Quarum duæ ad cochlearis inverſi ſpeciem obviæ fiebant.

H.H.H.H.H.H. Foveæ, aut declivitates, ſuperficiei notabiliores.

I. I. I. I. Membranæ Chorii partes dedita opera ſub Amnio ita extenſæ.

K. K. K. K. Rami Venæ umbilicalis circa M. in Fune medio, tanquam in unum truncum coëuntes.

L.L.L.L.L.L. Ramuli vaſorum arterioſorum, & præ-

ſertim venoſorum ferè ſolitariò in varia capillamenta per placentæ ſuperficiem divertentium, & eidem hic atque illic ſe inſinuantium.

M. Locus concurſus ramificationum arterialium & venalium, illarum in duos, ferè à latere funis ſitos, truncos; harum, ut dixi, ferè medio ſitum, truncum.

N. N. N. Ligamenta Funis, ex Amnio & Chorio efformata, quibus placentæ uterinæ firmiter quoque connectitur.

O.O.O.O.O.O.&c. Loca, circa quæ Venalium ramificationum cum arterialibus obtinere videntur, Anaſtomoſes potiſſimè.

P. P. P. P. Membrana Amnios, extenſa, & ita diſrupta, ut ſubjacentis & avulſi Chorii partes I. I. I. I. in conſpectum diſcriminatim veniant.

Q. Q. Q. Q. Productiones pinguedinis, inſtar nubecularum rariorum, ſereno cœlo frequenter per æſtatem obſervabilium, per Amnium tranſparentes: quæ à placentæ limbo R. R. R. R. evidenter continuo quaſi ductu, derivantur.

R. R. R. R. Limbus Placentæ, pinguedinis tranſparentis multa veſtigia præbens.

a. b. Oſcula, ad abſciſſi Funis A. B. C. extrema inſtar tubulorum prominentium, duarum Arteriarum, ut dixi, lateraliter per varios gyros ac contorſiones ad Placentam uſque productarum.

c Oſculum venæ unicæ, ad umbilicum fœtus, medio ferè loco, æqualiore & ſimpliciore progreſſu porrectæ.

d. e. f. Plica

Digitized by Google

Digitized by Google

d. e. f.	Plica notabilis. Funem illic loci quaſi bipertiens, ad ſpithamæ præter propter diſtantiam à Placenta uterina.
g. g. g. g. g. g.	Noduli, ſeu nodoſæ protuberantiæ, ab arteriarum intorſionibus ac gyris dependentes.

FIGURA III.

Placenta uterina cum connexo Fune, & Membranis fœtum involventibus, iterata delineatio: qua membrana Amnios à placenta divulſa apparet, atque vaſa venoſa arterioſa per Chorion diſcurrentia, unà cum placentæ ſubſtantia exteriore, fœtum reſpiciente clariùs oſtenduntur.

A. B. C.	Funis cum deliteſcentibus umbilicalibus.
B. & C.	Aſſignant notabiliores vaſorum memoratorum convolutiones & membranæ inveſtientis Funis lapitatem tantam, ut preſſæ illæ ac rebres plicaturæ, oblique deſcendentes reformentur.
D. D. D.	Membrana Amnios, à Chorio & placenta, uſque ad G. avulſa, & in altum ſuſtenta à manu H.
E. E. E. E. &c.	Flaveſcentes tranſparentiæ pinguedinis, præ cæteris ſuperficiei partibus in longum & latum prominentis.
F.F.F.F.F.F.&c.	Inæqualitates, declivitates, & quaſi foveas, alias aliis latiores ac profundiores referentes.
G.G.G.G.G.G.	Terminus ſeparationis membranę Amnii à Chorio, & Placentæ ſubſtantia cum vaſis perreptantibus.
H.	Manus, membranæ Amnii avulſam partem D. D. D. demonſtrandam ſuſtinens.

I. I. I. I. Subſtantia placentæ uterinæ, membrana Chorii ſolùm inveſtita, cum ſuis perreptantibus vaſis arterioſis & venoſis.

K. K. K. K. K. Membrana Chorion, taliter qualiter ſupra tabulam extenſa.

L. L. L. L. Pinguedinis Proceſſus in membrana Chorio, Amnio privata, inſtar nubecularum rariorum admodùm obſervabiles.

M, M. M. M, Subſtantia exterior, fœtum reſpiciens, utraque membrana, Chorio & Amnio adhuc inveſtita.

a. a. a. a. a. a. a. Vaſa arterioſa, & præcipuè venoſa, ferè ſolitariò in varias capillares propagines ſupra ſuperficiem placentæ prorepentia, Chorio intexta.

b. b. b. b. Vaſorum nominatorum à ſuo cujuſque trunco notanda divortia, variis nihilominus, hìc atque illic, copulationibus, conſortiis, & anaſtomoſibus cohibita.

c. c. c. Ligamenta funis, ex Amnio & Chorio efformata, quibus Placentæ firmiter annexum jam ſuprà dixi.

d. d. Nodi in fune eodem notabiliores.

FIGURA IV.

Funis portio ea, qua obſervabilis illa membranæ laxitas, contorſio ac plicatura preſſa ac crebra notatur; aperta adeò, ut vaſa contenta in ſuo ſitu conſpici aptè queant.

A. B. Arteriæ contentæ duæ, varia circumgyratione ac contorſione mutua ab umbilico fœtus verſus placentam juxta latera I. I. I. I, &c. progredientes.

C. Vena

Digitized by Google

FIGURA IV




FIGURA V.





FIGURA VI.



C. Vena unica, ſatis magna, ac patens adeò, ut craſſiori ſtylo facilem præbeat inſertionem: quæ medio ferè Funis tractu, & ductu æquali à placenta verſùs umbilicum porrigitur.

D.F.E. Ipſamet Funis amputata utrinque portio.

F. Notabilis illa contorſio dedita opera ita diſſecta, ut vaſa nominata aptè cernantur.

G. Macula ſanguinea, in arteriarum alterutro trunco, à tranſparente ſanguine conſpicua reddita.

H. Alia conſimilis macula.

I.I.I.I.I.I.I.I.I. Laterum deſignationes, juxta quæ Arteriarum dictæ contorſiones procedunt.

FIGURA V.

Maculam in arteriarum, alterutra inveſtigatam, & gemmæ ſeu noduli veſtigium eſſe, deſignat.

A. Macula in Arteriarum alterutra, ad gemmæ figúram illic loci extumeſcente, a tranſparente ſanguine dependens. Qua inveſtigata, facilis compertus eſt proceſſus ſanguinis verſùs placentam; difficilis verò regreſſus verſùs fœtus umbilicum.

B. Altera arteria, ſub membrana, aut tunica funis communi latitans, & variis gyris intorta.

C. D. Pars ea Funis, quæ oſtenditur in *Figura* IV. circa H. ut C. reſpiciat placentam uterinam: D. verò fœtus umbilicum.

E. Interna Funis ſubſtantia, per diſſectionem, & laterum diſſectorum dimotionem conſpicua.

FIGURA VI.

Gemmulæ aut noduli in arteria prænominata inventi ad apertionem oſtendit.

A. Gemmula Arteriæ prænominatæ aperta, & valvula a, b, c, adinventa, quæ tranſitionem negat verſùs C. ſed diſrupta. D 5 B. Al-

B. Altera arteria intorta, ſub tunica funis adhuedùm latitans.

C. Extremitas placentam reſpiciens.

D. Extremitas altera umbilicum fœtus reſpiciens.

E. Funis interiora.

FIGURA VII.

Maculæ conſimilis inveſtigationem, & valvulæ inventionem oſtendit.

A. Macula in Arteria, priori ſimilis paulò inferiùs verſùs umbilicum, in Fune circa B. aperta. Quæ Valvulam integram monſtrat.

C. D. Pars funis ſeorſim depicta, ut maculæ interiora cernerentur.

a. b. c. Valvula, ex laxiore ibidem arteriæ tunica, ad circuli tranſverſim interiora claudentis, modum efformata.

a. Punctum medium, tranſitum verſùs C, placentam, facilem deſignans; difficilem verò verſùs D, fœtus umbilicum.

FIGURA VIII.

Ipſiuſmet interioris ſubſtantiæ Placentæ uterinæ delineatio.

A. A. A. A. Interna ſubſtantia placentæ uterinæ, à Chorii membrana F. F. F. circa I. I. I. lateraliter diſſecta.

B. B. B. B. Superficies placentæ ſolo chorio obducta.

C. Truncus, Funis, abſciſſus circa concurſum vaſorum umbilicalium.

D.D.D.D.D. Arteriarum & Venæ ramificationes, ex prioribus Figuris magis inclareſcentes.

E. E. E. E. Potiſſimæ prominentiæ & colliculi flaveſcentes, fungoſæ pinguedinis indices: quæ in prioribus quoque clarius conſpiciuntur Figuris.

F. F. F. F. F. Mem-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

F. F. F. F. F. Membrana Chorion, negligenter extenſa juxta placentæ, cui continuò jungitur, latera.

G. H. Acus, cujus ope diſſecta ſubſtantia A. A. A. A. in H. aperta ſuſtinetur; ne nimirùm concidat verſùs I. F.

I. I. I. Extremitates aperturæ ſubſtantiæ memoratæ interioris, diſſectione factæ.

FIGURA IX.

Secundinæ *cum* maſculino *fœtu excluſæ, delineatio, ea parte, quâ Fœtum dictum reſpexerat, facta.*

A. B. C. Funis valdè æqualis: ſed intorſionibus crebrioribus inſignis.

D.D.D.D,&c. Subſtantia obſervata, ſanguinea, mollis, Hepatis, parenchymati ſimilis ſub membranis delitеſcens.

E. E. E. Vaſa venoſa ſpeciali modo nunc convoluta, nunc à ſe mutuo divertentia.

F. F. Tranſparens pinguedo, cum aliqua declivitate ſinuoſâ.

G. G. Subſtantia placentæ ordinaria.

H. H. H. Inæqualitatis exiguæ, innumeris exilibus tuberculis oblongis, preſſis, & ſuper eas diſcurrentibus nonnullis venoſis & arterioſis capillaribus ramificationibus conſpicuæ.

I. I. I. I. Membrana Chorion, unà cum Amnio extenſa.

K. K. Productiones, pinguedinis, per Amnion tranſparentis, quibus Chorion gaudere jam ſuprà quoquè dixi.

L. Sinus inſignis, ad foveæ ſimilitudinem obſervatus.

M. Sanguinis coagulati ſpecie obveniens, ſubſtantiæ placentæ ſub Chorio injuncta, pars.

a. b. Venæ

a. b.	Venæ ſanguine tranſparente turgidæ admodùm, latitudo.
c. c. c.	Arteriarum, verſùs placentam tendentium, veſtigia.

FIGURA X.

Secundinæ ejuſdem repetita talis delineatio, quâ & Placentæ, & Funis clarior ac diſtinctior exhibetur contemplatio.

A.	Membrana Amnios eâ parte tantùm ſeparatu facilis parte reliquâ minùs. Et ſeparata fuit juxta extremitates B. B. B.
B. B. B.	Extremitates Amnii ſeparati.
C.	Manus ſuſtinens.
D. E. F. G.	Funis juſtâ magnitudine, figuratione, juſto ſitu depictus.
E. G.	Notabiles Nodi, in fune animadverſi.
G.	Extremitas Funis ad extenſi digiti longitudinem ac diſtantiam ab umbilico abſciſſi.
H.	Arteriæ nodus duplex, d. e. qui duplici maculâ erat conſpicuus, & deditâ nunc operâ inveſtiturâ funis eſt privatus.
I.	Sanguis coagulatus, Parenchymati hepatico ſimilis, ſub Chorio ſolo latitans.
K. K. K.	Membrana Chorion, negligenter extenſa.
L. L. L. L.	Inſertiones vaſorum venoſorum incurvatorum, in ſubſtantiam Placentæ.
M.	Subſtantia Placentæ, Chorio quoquè denudata.
a. b.	Arteriæ duæ inſtar tubulorum ex Funis extremo prominentes.
c.	Venæ orificium ſatis tàm amplum ac patulum, ut ſpecillum chirurgicum ordinarium intromittat.

d. e. Nodus

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

FIGURA XII



FIGURA XIII



FIGURA XIV




FIGURA XV

d. e. Nodus arteriarum alterutrius duplex, funis tunica ex arte privatus.

f. f. f. f. f. f. Protuberantiæ, & intorſiones ſingulares, in Fune hoc valdè obſervabiles.

FIGURA XI.

Placentæ prænominatæ eâ parte, quâ Uteri membranas reſpexerat, juſtè facta delineatio.

A. A. A. A. Subſtantia Placentæ, quâ parte Uteri membranas, quibus connexa fuerat, reſpexerat.

B. B. B. Funis.

C. C. Membranæ Chorii portiones, negligenter jacentes.

D. D. D. D. Sulci inſignes, latitudine, profunditate, connexione & numero maximè notabiles.

E. Maſſula ſanguinis coagulati, & inſtar Parenchymatis accreti, ſulco inhærens.

FIGURA XII.

Funis ea pars, quæ immediatè umbilico fœtus memorati maſculini jungebatur, defuncto eodem fœtu forficula tranſverſim abſciſſa.

A. B. Funis abſciſſa portio, juſtâ magnitudine, Figuraque depicta.

C. Locus, ubi ligatura in ipſo partu injecta erat.

a. Venæ umbilicalis oſculum, umbilicum reſpiciens.

b. & c. Arteriæ duæ, itidem umbilicum fœtus reſpicientes, melioris luſtrationis cauſâ, parumper cummuni Funis inveſtiturâ privatæ.

d. d. d. d. Proceſſus Arteriarum earum verſus placentam.

FIGURA XIII.

Arteria duæ in parte Funis, Figurâ XII. demonſtratæ, Funis ejuſdem inveſtiturâ ex arte privatæ.

A.B. Arteriæ duæ in ſuo naturali ſitu juxta ſe mutuò progredientes.

C. Nodus rubicundus per tranſparentem ſanguinem, in arteria a.d.

D. Nodus rubicundus, in arteria altera b.c. difficilem, & nonniſi violentum ſanguinis motum verſus A. fœtus umbilicum: facilem verò verſus B. uterinam placentam permittens.

FIGURA XIV.

Arteria alterutrius, Figurâ XIII. deſcriptæ pars, in quâ Macula & gemma notata tranſverſim diſſecta, & aperta conſpicienda traditur.

A.B. Ipſamet Arteriæ pars.

C. Medium deſignans Gemmam, ſeu Nodum a.b. tranſverſim diſſectum.

a. Gemmæ diſſectæ pars ſuperior, fœtûs ſpectans umbilicum, cum rimula, valvulæ indice.

b. Pars ejuſdem inferior & oppoſita, anguſtiore foramine rotundo pervia, placentam ſpectans uterinam.

FIGURA XV. & ult.

Vena umbilicalis, unâ parte Funis inveſtiturâ denudatæ, delineatio.

A.B. Ipſa Vena umbilicalis, tunicæ Funis communi unâ parte adhuc juncta, & quaſi incumbens ad tubuli ſpeciem.

C.D.& E.F. Ipſamet tunica, cui adhucdùm vena juncta oſtenditur, dilatata.

ANA-

ANATOMIA
SECUNDINÆ HUMANÆ
CONTENTORUM

SYLLABUS.

I*Ntroductio proœmialis.*

ARTICULUS I.

Vniverſim, quæ in Secundinâ fœtus fœminini obſervata ſunt, recenſeutur. 12

ARTICULUS II.

Quæ in Placenta uterina eâ parte, quâ Vterum reſpicit, obſervata ſunt, particulatim referuntur. 13

ARTICULUS. III.

Quæ eâ placentæ parte, quâ Fœtum reſpicit, obſervata ſunt, particulatim narrantur. 17

ARTCULUS IV.

Quæ in Fœtum involventibus Membranis obſervata ſunt, ſeorſim referuntur. 20

ARTICULUS V.

Quæ in Fune, ſeu inteſtinulo ſeparatim obſervata ſunt, enarrantur. 25

ARTICULUS VI.

Interior Funis conſtitutio explicatè traditur, præſertim vaſorum umbilicalium exteriora & interiora narrantur. 28

ARTICULUS VII.

Relatorum ulterior inveſtigatio, quid præbuerit in Secundinâ recens nati puelli, narratur. Et I. *in placentæ eâ, quâ uterum reſpicit, parte quidnam notatu dignum occurrit.* 32

ARTICULUS VIII.

II. *Quidnam in Placentæ eâ parte, quâ fœtum reſpicit, notatum ſit.* 34

ATICULUS IX.

III. *Quidnam in Fune iterùm annotatum fuerit, explicatur.* 37

ARTICULUS X.

IV. *Quidnam in Funis parte umbilico proximâ, obſervatum ſit, additur,* 40

Concluſio.

FIGURA I.

Secundinæ, cum fœminino fœtu excluſæ, ſuæ Placentæ uterinæ, unà cum Membranis ac Fune, delineatio, eâ parte inſtituta, quâ Uterum ſpectat.

FIGURA II

Placentæ uterinæ cum Fune & Membranis acceptæ delineatio, eâ parte facta, quâ Fœtum ſpectat.

FIGURA III.

Placentæ uterinæ cum annexo Fune, & Membranis fœtum involventibus, iteràta delineatio.

FIGURA IV.

Funis portio ea, quâ obſervabilis illa membranæ laxitas, contorſio ac plicatura preſſa ac crebra notatur; aperta adeò, ut vaſa contenta in ſuo ſitu conſpici aptè queant.

FI-

FIGURA V.

Maculâ in arteriarum alterutrâ inveſtigatam, & gemmæ ſeu noduli veſtigium eſſe, deſignat. 57

FIGURA VI.

Gemmulæ, aut noduli in Arteriâ prænominatâ inventi adapertionem oſtendit. 57

FIGURA VII.

Maculæ conſimilis inveſtigationem, & valvulæ in Arteriâ inventionem oſtendit. 57

FIGURA VIII.

Ipſiuſmet interioris ſubſtantiæ placentæ uterinæ delineatio. 58

FIGURA IX.

Secundinæ, cum maſculino fœtu excluſæ, delineatio, eâ parte, quâ fœtum dictum reſpexerat, facta. 59

FIGURA X.

Secundinæ ejuſdem repetita talis delineatio, qua & placentæ, & funis clarior ac diſtinctior exhibetur contemplatio. 60

FIGURA XI,

Placentæ pronominatæ ea parte, qua uteri membranae reſpexerat, juſtè facta delineatio. 61

FIGURA XII.

Funis ea pars, qua immediatè umbilico jungebatur. 61

FIGURA XIII.

Arteriæ duæ memoratæ in parte Funis, inveſtitura ejuſdem privatæ. 63

FIGURA XIV.

Arteriæ alterutrius pars, in qua macula & gemma notata tranſverſim diſſecta & aperta conſpicienda traditur. 63

FIGURA XV. & ult.

Venæ umbilicalis, una parte funis inveſtitura denudatæ, delineatio. 63

FINIS.

Digitized by Google

NICOLAI HOBOKENI
L.A.M.Phil.& Med.D.ac Prof.

SPICILEGIUM
EPISTOLARUM,

Rem potiſſimum GENERATO-
RIAM referentium,

CUM

DD. ad quos ſcriptæ,
Reſponſionibus.

I.

CL.V. D. *Thomæ Bartholino*, C. F. Med. D. & Sereniſſ. Reg. Maj. Dan. in Acad. Hafnienſi Profeſſ. honorario.

S. D.

NICOLAUS HOBOKENUS.

Hafniam.

Clariſſime Domine,

QUæ mihi cum lucubrationibus, & æternitate digniſſimis ſcriptis tuis intercedit familiaritas, me eò audaciæ provehit, ut tuos cognitioni humanæ porrò locupletandæ ſacros, & deſideratiſſimos labores interpellare his inſtituam; ex ignoto (ſi per humanitatem tuam licet) notior tibi magis magiſque fieri deſiderans.

Ejuſque voti exprimendi prima hæc copia datur per affinem tuum amiciſſimum *D. Blaſium*, cujus cura benevola adjunctum munuſculum A-

cademicum (ſolidioribus puta, tuæque Charitatis conſpectu dignioribus, ſi Deus voluerit, ſubſecuturis præmiſſum) ad tuas pervenit manus. Quam itaque *Clariſſime Domine*, habe animi mei meritò officioſiſſimi, tuo ut limatiſſimo, ita æquiſſimo judicio ſubmiſsè objectam notulam. Et ita, proſpera tibi tuiſque ex voto omnia apprecatus, impræſens deſino. Feſtinanter ex muſeo meo Ultrajecti, XIV. Cal. Majas, Anni M. DC. LXII.

II.

Clar. experientiſſimoque Domino, D. *Thomæ Bartholino*, Medic. D. & Prof. apud Raſnienſes Honorario, &c.

D. ſuo pl: honorando,

S. P.

Clariſſime Domine,

POſtquam meas XIV. *Cal. Majas* anni noviſſimè elapſi, cum adjunctis (quæ ſi bene reddita ſint, uti ſpero, gratiſſimum fuerit) ad te darem, fortè licuit incidere in tractaculum illum Obſervationum Anatomicarum *D. Stenonis*; quem etiam tuæ

tuæ Claritatis nomini excellenti inſcripſit. Hic ubi, quod Affini tuo CL. D. *Blaſio*, meritò vindicandum eſſe credebam, ab eo ſibi audacter, & ſtylo ſanè aculeato, omninò arrogari deprehenderem; inſtiti apud laudatum amicum, donec tandem negotii plenariam & refutatoriam Diductionem, harum comitem, ab ejuſdem humanitate obtinuerim. Quam quo fine, quo etiam animo publicis typis donarim; ex exempli hujus à me præmiſſa ad *Lectorem Benevolum*, præfatiuncula, & meis ad Cl. plùs laudatum amicum Literis annexis, videre; &, quo ſoles, æquo animo judicare placuerit Claritati tuæ: cui, eodem cum munuſculo, meum officioſiſſimum animum etiam nunc offero,

Clariſsime Domine,

Raptim Ultrajecti, die 10. l20. Januarii M. DC. LXIII.

Tui obſervantiſſimus

N. HOBOKENUS.

III.

Viro Clariſſimo & excellentiſſimo, D. *Nicolao Hobokeno*, Phil. & Medic. Doctori meritiſſimo, Amico honorando,

Vltrajectum.

Vir Clariſſime & Excellentiſſime,

Bene precabor noſtro amiciſſimo *Blaſio*, quo parario tuam amicitiam, amica manu & mente oblatam, merui. Tibi verò, *Vir clariſſime*, bene quoque ominabor, qui virtute tua & eruditione, tot ſpeciminibus publicis ſpectata, eruditorum amicitias ambis: quibus quanquàm adnumerari non poſſim, gratiſſima tamen mihi eſt voluntas tua, quæ & eruditis me adjungit, & amicitia ſua dignum judicat. Ego quid benevolo affectui rependam, invenio nihil, niſi parem animum, quem ſi amas, integrum tibi ſpondeo.

Legi *Inauguralem Diſputationem*, oppidò eruditam. In *Corollariis Phiſiologicis obſervo* I. Ex *Circulatione* inventa omnem *delectum* venarum brachii in *Venæſectione* tolli & aboleri. Qui tamen delectus etiam ante Circulatio-

lationis initia fuit, abrogatus, & ab *Higmero*, accurato Circulationis aſſertore reductus, *l.* 2. *Diſquiſ. Anat. part.* 2. *c* 2.

Deinde (II.) nullam prædictionem fieri poſſe de *Fœtus*, in utero exiſtentis *Sexu*. Scilicet ſi ex *Hippocratico aphoriſmo*, ex Uteri parte fiat conjectura, *Sect.* v. *Aph.* 48. Alioquin novi prægnantes, quæ ſequiorem ſexum ſe geſtare indubiè ſciunt; quando (1.) pejùs habent, (2.) gravius ſolitò eſt corpus, & (3.) alia frigidioris habitus indicia ſentiunt.

III. *Septimum* tantùm menſem, & *nonum* pro *naturalibus Partus temporibus* æſtimari; cùm non *Nonus* menſis, ſed *Decimi initium*, ab omni antiquitate laudetur pro frequentiore partu. Notum illud *Virgilii Eccl.* IV.

Matri longa decem *tulerunt faſtidia menſes*,

Et *decem* menſibus gigni hominem à decem viris proditum, teſte *A. Gellio*, *l.* 3. *Noct. Attic. c.* 16. In quam ſententiam ita eleganter more ſuo, *Tertullianus*, *l. de Anima c.* 37. loquitur: *Legitima nativitas fermè* decimi *menſis ingreſſus eſt. Qui numeros ratiocinantur, & decurialem numerum, ut exindè reliquorum parentem colunt. Ego potiùs ad Deum argumentabor*

mentabor hunc modum temporis, ut decem menſes Decalogo *magis inaugurent hominem: ut tanto temporis numero naſcamur, quanto diſciplinæ numero renaſcimur.*

Non progrediar ad menſes ſequentes, qui etiam ſuos fautores habent, ut verus eſſe credatur *Plinius, l.* VIII. *c.* 5. Hominem *toto anno,* & *incerto* gigni *ſpatio.* Cui anteà *Ariſtoteles, l.* VII. *de hiſt. Animal. c.* 4. præluxerat.

IV. In *Chyli* motu, & *Lymphæ* lymphaticorum noſtrorum eſſe nos ὁμοψήφυς; tibique pro veritate & natura defenſa, gratias deberi ampliſſimas.

V. In *ductuum Salivalium* inventione *primâ*, nimium tribui amico noſtro communi, Cl. *Blaſio.* Nihil doctiſſimo viro detraho, quem amo, & laude dignum judico. Cæterum ille ductuum Salivalium, maxillæ *inferiori* inſertorum repertor primus dici non poteſt, nec unquam voluit, pro ſua ingenuitate: quippe qui Cl. *Warthono*, eam prærogativam dubiam nunquam fecit, de ductibus ſalivalibus, in maxilla tantùm *ſuperiori* loquutus, *pag.* 64. *Medicinæ generalis.* De quorum ductuum *Inventione prima*

na certat *Sthenonius* noſter. Ego hujus litis arbitrium ſemper declinavi; quia uterquè mihi amicus. Tentavique offenſos utriuſque animos potius amica concordia componere, quàm irritare: ſed irritum fuit hactenùs meum votum, neſcio cujus culpa. Bella enim hujuſmodi, inter Anatomes ſcriptores geruntur,

——— *Nullos habitura triumphos.*

Forſan, ſi reviviſcerent *Abenzina, Halyabbas, Iſaacus* (apud quos horum ductuum, imprimis *Whartonianorum*, veſtigia manifeſta comparent) aliquid authoritate ſua & eloquentia ad conciliandas eruditas haſce pennas poſſent conferre. Quibus tamen & ipſis illud *Senecæ de Conſol. ad Polyb. c.* 36. pro amicis noſtris occinerem: *Virtus in medio poſita eſt, neminem dedignatur, qui modò ſe dignum illa judicet.*

Quod & de te, *clariſſime Vir*, dictum velim, qui excelſo ingenio excelſa Reip. noſtræ literariæ promittis, & ardua. Deus conatibus faveat, detque annos illis pares. Reliqua non tango, quæ tranſmiſiſti, ne in alterutrum amicorum videar injurius. Nec inte-

interim inanes literas remittere volui, ne in naſcentem amicitiam peccarem. Ita vale, *mi Hobokene*, & me amare perge! Raptim Hafniæ IV. April. cIↄ Iↄ c LXIII.

T. T.

TH. BARTHOLINUS.

IV.

Clar. Excellentiſſimoque Viro, D. *Thomæ Bartholino*, in Regia Hafnienſi Acad. Profeſſ. Honorario, & Facultatis Med. Decano, &c. Amico ſuo ſummè honorando,

Hafniam.

S. P.

Excellentiſſime & Clariſſime Domine,

EGo certè ſumma ratione benè precabor, & jammodò precatus ſum V. Cl. amico noſtro *Blaſio*, quod reſponſorias illas tuas IV. *April.* acceptiſſimas videre; & per eaſdem tanta tua mei benevolentia, favoreque tam largiter frui liceat. Nullum quippe meum meritum eſſe, eſt quod ingenue affirmem, rerum mearum ipſemet facile conſcius. Dabo autem aperam quàm potero, maximam, ne amoris

amoris tui, amicitiæque mutuò excolendæ tam benevolè oblato beneficio indignus cenſeri queam. Et ut erudiſſimas ad illas, ac longè gratiſſimas, in quædam *Medicæ meæ diſputationis promotorialis* CORROLLARIA PHYSIOLOGIA datas tuas *Obſervationes* cenſuraſque nonnihil reſpondeam; prænotari velim, ſummam in iis ordinariè concedi ventilationis deſideratæ anſam, uti quoque initio eorundem præcaveo. Dein

Ad I. *obſervationem*, Nota, me non adducere *Circulationis* ſanguinis *Inventionem*, ut ab ejuſdem præcisè periodo demùm obtinuiſſe indifferenter faciendam in brachio Venæ ſectionem afferam: ſed ſimpliciter, quod ex *Circulationis* inventione præcipuè, imò ſummè confirmetur de *indifferenti Venæſectione*, ſive antè, ſive pòſt & nunc prolata ſententia. Ut duo Problemata (de Circulationis inventione vindicanda *unum*, & de, propter ejus certitudinem indifferenter facienda Venæſectione *alterum*) connectantur.

Quid ajo? imò non abrogatum iuantè *Delectum* ſentio, niſi rationum

eodem,

eodem, cum Circulationis poſtmodùm inventæ Vindicationi inſervientibus illis, tendentium pondere ac ſuadela. Uti clarè ſatis apparet antecedentium temporum, de Venæſectionis uſu & regulis agentes, Autores probè reſpicienti.

Et ut attentè conſulo celebr. *Highmorum* allegatum, non video, ab eodem magis delectum illum *reduci*, quam à me planè aboleri. Quantùm ad meam theſin, neutiquam dico, *omnem* delectum tolli; ſed duntaxat *venam in brachio* CUM EODEM PARIQUE FRUCTU, non neceſſariò, non omninò, *indifferenter ſecari.* Et *ordinairiè* quidem; ne videlicet caſum, contrarium fortè ſuadentem, planè excludam; imò ut lubens admittam.

Highm. Disquiſ. anatom. lib. 2. Part. 2. cap. 2. pag. 134 Quæ & *Highmori* laudati mens ac ſententia, mihi ſaltem videtur eſſe, ex his ejus verbis: *Ex arteriarum carotidum à ſubclavia dextra exortu* (quem demonſtrat paulò ante) ELECTIO VENARUM IN MORBIS CEPHALICIS *ſuadent in venæ ſectione. Vena ſcilicet* DEXTRI *brachii eſt potius eligenda, quàm* SINISTRI. Et reddit rationem: (*quia, cùm omnem à ſubclavia arteria venæ ejuſdem brachii ſanguinem recipiunt, cujus ſurculus in brachio*

brachio per anoſtomoſes uniuntur, plus à capite, Phlebotomiâ in dextro brachio peractâ, quàm in ſiniſtro, derivatur. Idque hac ratione: *Quò enim plus ſanguinis ex arteria hac ſubclavia* (dextra ſcilicet) *per venas, in quas, ut dictum eſt, ſuum ſanguinem effundit, evacuetur; eò minùs ad caput per Carotides, ferri eſt neceſſe.* Igitur à generali Regula exceptio ſuadetur, in caſu dato. Et hoc non ſolùm ille vult; ſed & quos cunquè hactenùs *Circulationis* vel ſummos Fautores legere licuit, velle ac ſentire comperio. Et comperie me probo, ex uſitatâ iiſdem Venæſectionis diſtinctione in *evacuatoriam, revulſoriam & derivatoriam*; pro generali totius, vel particulari hujus aut illius partis corporis laborantis exigentiâ, adhibendam. Videri poterunt Nobiliſſ. Noſter *Regius* & CL. *Wallæus*; tum in inſtitutionibus, tum in calce epiſtolæ, ad tuam Claritatem X. *Kal. Octobr. an.* hujus ſeculi XL. ab eo datæ; aliiquè. Sed pergo.

H. Reg. Medic. lib. IV. c. 16. pag. 268. 269. Et Joh. Wallæus inſtit. Medic. l. 3. c. 2. p. operum 96. Idemq; epiſt. priore ad Th. Barthol. de motu Chyli, p. operū 268. 229. Aliique.

Ad II. *Obſervationem.* Et ibi nota, me in *prædictione Fœtûs in utero exiſtentis*, non reſpicere teſtimonium *Hippocratis*, aut alius; quippe qui, ut noſti mecum, *Clariſſime Domine* (& in-

(& innuis ſatis clarè in reſponſione tuâ, 18. *Februar. ſt. v.* an. hujus ſeculi LXI. de experimentis *Bilſianis*, & difficili Hepatis reſurrectione, ad Cl. V. *Nicol. Zaſium*, Roterodam. Med. circa finem,) nullam ut in Philoſophiâ, ſic in arte Medicâ admitto authoritatem, nullum teſtimonium, imò nullam experientiam, niſi Ratione rectè putatâ præambulante deprehendantur niti. Nam hoc demum pacto Medicinam *Rationalem* habebimus, colemus & tandem perficiemus. Ut aliud ſit dicere ſe ſcire, aliud indubiæ ſcientiæ rationem dare. Atque nullam adhuc rationem video, contrariæ huic meæ ſententiæ Patronos producere, quæ ſana, indubia & certæ ſequelæ ſit.

Ludit in humanis divina potentia rebus,

Inquit Poëta. Naturamque ludere, ipſe aſſeris in calce epiſtolæ illius tuæ ad *Fortun. licetum.* [1] Fallunt *ſigna*, communiter allegata. [2] Fallunt experientiæ. Et vel noviſſimo duplici hic

1 Th. Bartholini epiſt. Medic. cent. 1. ep. xxxvi. pag. 148.

2 Videſis Avicenn. Canon. lib. 3. Fen. 21. Tract. 1. cap. 13. p. edit. Venet. 929. T. 1.

Et Michaël. Scoti. libell. de Secret. naturæ, part. 1. C. 16. 17. & 18.

hic exemplo amicum & alterum è meis fide digniſſimis, fefellêre in uxoribus, fœtu *Maſculino*, ut ominabantur (ex omnibus hactenus recenſitis vulgò ſignis) & ipſi, & Obſtetrices peritiſſimæ, gravidis: per ſubſequentem videlicet prolis *fœmininæ* parituram & editionem. Atquè, ſi accuratè omnia examinentur, videbimus prædictis ſignis rationem ne probabilem quidem, ut taceam certam, ἀποδεικτικῶς, militare ullam; ſed eadem ſæpè falſa, plurimum putatitia futilique niti hypotheſi.

Et quid Fœtus, uteri ergaſtulo incluſi *ſexum* diſcriminatim indicantia, *ſigna* ponere tentamus; cum nullum videamus eorum fundamentum? maxime, quia ſexu in utroque naturæ leges, à ſummo opifice fœtui conformando alendoque adſignatas & impoſitas, æqualiter, & ſibi mutuò conſimillimè ſervari poſſe, & re ipſa ſervari ratio docet, & experientia teſtatur. Quid? annon (quod unum quidem ex præcipuis allegatis vulgò ſignis, arguere contendunt) multi fœtus *fœminei* naſcuntur, *temperamenti Calidioris melioriſque* dono,

Digitized by Google

præ maſculino etiam præditi ? Quæ itaque conſequentia: Mater male, vel frigidiuſcule, tempore geſtationis ſe habet; ergo gerit fœmininum, non maſculinum fœtum? & è contra? nulla inquam? Sed de hoc negotio videbo, num alibi latius agere quiverim.

Ad III. *Obſervationem* quod attinet; ſcito, CL. *Domine*, me etiam noviſſe ſententiam veterum, ac Neotericorum, hoc circa ζήτημα. Et, ſi exemplis & authoritatibus indifferenter pugnandum foret, facilè me diſſentientium, ex omni facultate diſciplinaque Autorum, etiam Medicorum numerus obrueret, cauſaque inde caderem. Sed quandoquidem (ut ſuperius quoque innuo) hic eorum Scriptorum teſtimoniis agendum eſt, quos in ipſa veritate indaganda, & ab aliis comparanda maxime verſatos fuiſſe, conſtat; à me ſtabunt omnes, qui iſtius lance librarint rem, recteque perpenderint.

Quamvis enim nobis, quod ſuperius adduxi, Natura ludere videatur (cum revera ea non ludat, fallatve; ſed de eadem ſæpiſſime conceptum judi-

judicium imbecille, vacillanſque noſtrum;) tamen certas eandem huis habere leges, definitaſque motiones, quas ipſa ſibi impoſitas, conſtanter, & abſque ordinis mutabilitate (niſi ab externa, aut interna aliqua impediatur cauſa: uti etiam id non ſine lege & regula contingit, ne caſu quicquam fieri ſupponamus; ſed omnia quomodolibet oſtendamus, doceamuſque dependere à nutu, [a] καὶ προθέσει τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος, κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ) ſemper exequitur; docet corporum naturalium, tum inanimatorum, tum animatorum quoad magnitudinem aliaque, *proportio* [b] determinata; docet in *Oriſeos* (qualis partus revera eſt,) [c] ratione obſervata maxime æquabilis proceſſio, obſervatus regularis exitus.

Ut res eo redeat, ſtatuamque menſem *ſeptimum* & *nonum* eſſe tantummodò partus *tempora naturalia*; id eſt tales periodos, quibus Fœtus humanus communiſſime, & ubique, & ſi non ſemper, plerumque ſaltem, in lucem edi, ſupervivere, & diu ſane valere poteſt ac ſolet. „ Non enim

„ ſuffi-

[a] Et à præſtituto ejus, qui agit omnia ex conſilio voluntatis ſuæ. D. Paul. ad Eph. c.1.v.11.

[b] Vide ſ. CL. D. Voet, Phyſiolog. l. 1. c.3.§.25. 26. p. 9, 10.

[c] Anth Everard. Hom. brutique exort. genuin. p. 239.

a Hier. Mercurialis Piſ. prælect. de hom. generat. c. 29.

„ ſufficit (quod optime cavet [a] *Hier.* „ *Mercurialis*;) fœtum jam abſolu- „ tum & conformatum ſecundum to- „ tum, & ſecundum omnes ſui par- „ tes eſſe; niſi & aptus ſit, ut extra „ Uterum & diù, & ſanus ſupervi- „ vat.

b P. Zacch. quæſt. Med. legal. l. 1. tit. 2. qu. 4. nu. 45.

1 Fernel. Phiſiol. l. VII. c. 11. p. mihi 186.

Nonum autem *ſeptimo communiorem frequentioremque eſſe*, cenſeo. Et huic meæ ſententiæ artis noſtræ nobiliſſimæ ſaniores Antiſtites, etiam Philoſophorum Præcipuos, tum [b] Veteres, tum recentiores, ſumme faventes habeo. Quod videbit, ſi quis præter CL. *Fernelium*, [1] *Pauli Zacchiæ*, *Mercurialem* [2] citatum, alioſque innumeros; præcipue *Sennertum*, [3] *Ronſſeum*, [4] *Schenckium*, [5] *Lev. Lemnium*, [6] Nobil. noſtrum *Regium* [7], ac nuperrime nitidiſſimo ſuo tractatu, ſupra

2 H. Mercur. loc. cit. c. 32.

3 Dan. Sennert. Inſtit. Medicin. l. 1. c. 10. de generat. opp. T. 1. pag. 336. a.

4 Bald. Ronſſei. centt. de hum. vit. primord. C. XVI. pag. 96. 97.

5 J. Schenck. obſerv. Medicinal. l. IV. obſerv. 154. pag. 136.

6 Lev. Lemnius de occ. natur. mirac. l. IV. cap. 23. pag. 456.

7 H. Reg. Philoſ. nat. lib. IV. cap. 15. pag. mihi 356.

ſupra quoque allegato, prodeuntem experientiſſimum *V. Anth. Everardi*[8] *conſulueri*t.

Ita tamen ut præciſe determinare nolim, *an ipſo ſeptimi, ut & noni Menſis initio, an medio, an fine?* Nam neceſſe non eſt (ut inquit ſupra nominatus *CL. Fernelius*[9] de ſeptimo menſe) eum menſem prorſus impleviſſe: ſatiſque fuerit, adhunc terminum, aut ultra, aut infra dies ſeptem accedere. Quam mentem ego putem, fuiſſe *Tertuliani*[10], loco à te allegato; ex eo quod dicat FERME *decimi menſis ingreſſum*, id eſt, præter propter noni finem & decimi initium.

Et miror, ni CL. *Harveji*[a] quoque eadem fuerit ſententia, cum *uſitatum Vteri gerendi computum* definit intervallo menſis *Martii* & *Decembris* (quod intercidiſſe exiſtimat inter conceptionem nativitatemque *D. Servatoris* noſtri;) quamvis *decem* Lunæ curriculos *tranſactos* videatur velle. Quia non addit *Planè*, aut *omninò*.

Imò non video quid obſtet, quò minus *Octavo* quoque menſe nonnunquam vitalis fœtus in lucem edatur.

8 Anth. Everard. ibid. pag. 242.

9 J. Fernel. Conſil. Medicinal. LV. oppo mihi part. II. p. 376.

10 Tertuil. lib. de Animâ c. 37 pag. edit. Franequ. (1597.) 285.

a Guil. Harvejus de Partu, p. exercit. de gener. animal. 338.

tur. [b] Uti & hoc appoſitè reſpondit *Cæcilius* apud *A. Gellium:* [c]

> *Inſoletne* (rogatur) *mulier decimo menſe parere?* ait ille:
> *Pol nono, etiam ſeptimo, atque* OCTAVO.

Sed caveri velim, ne quis eum partum *naturalem* appellaverit, intuitu nimirum rationis cautelæque, à me ſupra exhibitæ & adſignatæ.

Adeoque antevertant hos terminos multi, ſupergrediuntur (quicquid aſſerant alii) revera nulli. Et qui in lucem prodendo multum antevertant, *ἠλιτόμηνοι, immaturi:* (uti male quidem *Homerus* [d] menſe *ſeptimo* natum, *Euryſtheum immaturum* vocat; cum nulla exhibeat ſigna, nullam cauſam: imò eundem ſupervivere diu poſſe, ſatis indicet, ex eo quod aptum pronunciet, *qui Argivis imperet.*

> —— *ὃς Ἀργείοισιν ἀνάξει,*

inquit. Verùm

> —— *Quandoque bonus dormitat Homerus.*

Vel cum Feſto, *exterricinei*, ſive *exterranei* (quaſi ante tempus à Natura deſtinatum, non tam nati, quam ejecti)

[b] Videſ. Mercur. loc. cit. cap. 31. Schenckium lib. cit. obſ. 154. J. Riolan comm. ad Fernelii lib. de Procreatione hom. cap. XI. p. mihi 561. & 562. item Anth. Everardi lib. cit. p. 244.

[c] A. Gell. noct. Att. l. 3. c. 16. p. mihi 102.

[d] Homerus Ἰλ. τ. v. 122.

ejecti) nominandi veniunt: quippe quos Mater, vel exterrita, vel alia qua cauſa gravi inpulſa, quaſi ejecit.

Et ad Veterum illas, hodiernaſque *Hiſtorias*, inque contrarium prolata nobis *exempla* [e] X, XI, XII, *menſium*, & ultra: *reſpondeo*, quæ de *decimo* proferuntur, emendanda eſſe (uti poſſunt) per *Calculi veterum* in diebus menſibuſque ſupputandis, obſervatum à noſtro hodierno diſcrimen. [f]

e Vid. Schenckii l. cit. obſ. 155, 156, &c. p. 136. & ſeqq.

Quæ verò de *Vndecimi* ulteriorumque menſium excurſu adferuntur, velut fabuloſa & imaginaria, ut fuco & fallaciâ tecta, rejicienda prudenti eſſe. *Adeò* enim (ut laudati *Harveji* [g] verbis utar) *interdùm certiſſima quoque gravidationis ſigna, non modo ignaras mulieres, ſed obſtetrices expertas, & peritos etiam Medicos atque attentos fefellerunt*. Imò *non negandum* (ait [h] ibidem,) *reperiri multas ſubdolas & fraudis plenas mulieres, quæ lucro inhiantes, aut pœnarum vel infamiæ metu, ſeſe gravidas fingunt & dejerant*.

f Vid. Everrad. lib. cit. p. 247. etiam Proſp. Martianum, in ſuo Hippocrate Notat. explicato: ibique ad Epidemior. l. v. verſ. 82. pag. 336. D. edit. Rom. fol. Alioſque.

g Harvej. loc. cit. pag. 338. h Idem pag. 336.

Quinimò temeraria quorundam *Medicorum* audacia eo ſæpe ruit, ut (auri nimirum, lucrique inde provenientientis forte, ſacra illa fame acti) Honori nominique Matronæ hujus, aut illius, tali ſcilicet patrocinio imaginario ſtudere maluerint malintque quam Veritatem, Ratione, Experientia, Conſcientia quoque Propria comprobantibus, manifeſtam tueri. Quo etiam recte *P. Sanchius* illam à te relatam eidem ſententiam, cujus meminere [a] tuæ ad eum *Cal. April. an.* hujus Seculi XLII. Batavio miſſæ.

a Th. Barthol. Epiſt. med. cent. I. ep. 16, & 17. p. 88. & 90.

Latius hic me neutiquam diffundam in præſentia, *vir excellentiſſime*; nec CAUSAS *partus* præciſe hac illave periodo obtingentis, enarrabo: quippe quæ præter inſtitutum & rei propoſitæ rationem ſunt, imo paſſim apud *citatos Autores* [b] proferantur & ventilentur.

Hoc tamen non ſine cenſura mea, vel nunc poteſt tranſire, quod nempe *Cauſam* [c], Veterum exemplo, petere

b Videſis imprimis Schenckium lib. ci. obſ. 155. p. 137. Riolanum, loc. cit. pag. 366. & ſeq. itemque A Everardi lib. cit. p. 240. & ſeqq. promiſcuè.

c Videſ. CL. Gothofredi notas ad l. 12. D. de ſtat. hom

tere geſtiant ab occulta myſticaque Pythagorica ***multiplicatione*** NUMERI. Cujus certe nulla omnino, ex Rationis genuinæ dictamine, ſit efficacia, nulla operatio: ut pote affectio mentalis, à cerebri fictione dependens, rationeque tantum à corpore diſtincta: in cujus virtute fundata quaſi concipitur, & nonniſi κατα-χρηστικῶς, agere dicenda. Quemadmodum bene quoque animadvertit CL *Scaliger* [d] rationem naturamque *Temporis*. Quo admiſſo, quid faciet ſodes ad *Partus actum tempuſve determinandum?* Nihil, inquam, amplius quam *Conditio, ſine qua non*, ad agendum requiſita. Ut *Partus* videlicet contingere ***vitalis*** & ***naturalis*** non ſoleat, niſi tot, vel tot dies, tot ſeptimanæ, tot menſes, quibus fœtus tantum taliterque conformari & matureſcere poteſt, ut in lucem prodire, & diu bene ſupereſſe valeat [e], effluxerint.

hom. Et in Auth. ad Nov. Juſtiniani conſtit. de reſtit. & ea quæ parit. XI. menſe poſt mortem viri. c. 2. §. 1. e. Et CL. Cujacium ad Jul. Pauli recept. ſentent. lib. IV. ad SCtum. Tertull. tit. IX. & poſt ad hanc ſententiam VII. menſe natus matri prodeſt. Itemque

Etiam errant in eo, quod ab *Aſtrologorum*

L. Cæl. Rhodigin. Lect. antiqu. l. 12. c. XII, XIII. p. 562. 563. Alioſque.

d J. C. Scalig. de ſubtilit. ad Cardan. exerc. CCCLII. qu. 1. pag. 1035. & ſeq.

e Videſis Proſp. Martian. l. cit. p. 45. A.

legorum hypotheſibus ratiociniiſque *Cauſam* hujus aut illius partus termini vindicandi, vel rejiciendi deſumant. Quæ cum mere cerebrina ſint, & vana, nullamque à parte rei (ut loquuntur Scholaſtici) veram exiſtentiam habeant; quænam ratio inde deſumetur, deſumpta Veritatem docebit? Etiam nulla, inquam. Et probat hæc inter alios, ſatis ſolide CL. [a] *G. J. Voſſius*, itemque [b] *M. Delrio*. Sed de iiſdem forte alias plura.

Ad IV. *Obſervationem.* Nihil reſpondeo, præterquam quod gratias tuæ quoque humanitati habeam, qua tam amice de mea loqueris, ſuper *Chyli & Lymphæ motu* prolata, ſententia. Sed

Ad V. *& ult. Obſervationem.* Quod attinet: ea *facti* omnino, non juris aut rationis eſt. Fateor equidem lubens, me σφάλμα illud vel illicò ad attentiorem relectionem deprehendiſſe (uti non infrequenter, propter Diſputationem Promotionemque præcedentes, & aliò animum trahendo obturbantes tunc occupationes, multa vel oculatiſſimo ſubirruunt errata:) ſed ſerò nimium, cum typos jam

a G. J. Voſſ. lib. de univerſ. Matheſ. nat. & conſtit. c. XXIX. § 7 pag. 124 & c. XXXVIII. paſſim, p. 209. & ſeqq.

b M. Delrio diſquiſ. Magicarum, l. 1. c. 3. qu. 1. pag. 12, 13.

jam diſſolviſſet diſtribuiſſetque Τυπο-θέτης. Quare etiam multis in exemplis calamo correxi, ante, *non ita pridem*, interſerendo: atque CL. *Whartono*, &c. Ac miror, quod in illo ad tuam Claritatem miſſo, factum ſit minus.

Quantum vero ad certamen de *Prima* ductus illius in maxilla *ſuperiori* Inventione, quod Amiciſſimum noſtrum *Blaſium* inter & *Stenonium*, neutiquam etiam nunc inimicum, hactenus obtinet; me quoque arbitrium, litiſque deciſionem (ἁπλῶς, quæ in publicum præcurrentes ejus *Obſervationes* ſequi volebant, ut mihi communicata, Lectori cuilibet candido dijudicanda dando) detrectare, manifeſtum ſatis fore, autumabam. Sed ſequiùs illam mentem meam interpretari placuit, bilis & aceti prædominium referenti, pennæ Stenonianæ: inde ſcilicet argumento deſumpto, quod (ex amicitiæ, quæ mihi cum CL. D. *Blaſio* deſideratiſſima hercle, intercedit, ſolenni jure; pro ea judicii privati libertate, quam ſi quiſquam, cariſſimam, imo inæſtimabilem ſervare volo) non nihil gratulabundus

bundus intermiſceam. Quod nullum tamen peremptorie de illis, quæ prolixe quidem diducta, & teſtimoniis fide dignis firmata Laudatiſſ noſter *Blaſius*, in ſuis iſtis ad *tuam Claritatem* datis, & mihi etiam miſſis, habet, latum judicium, nullam demonſtrationem meam; ſed talem qualem facti in me genitum, amico faventem ſenſum (re, ut dixi, ut pote non mea, aliis dijudicanda relicta) ſignant voluntve. Judicet mea, qui velit; quod ajo, comperiet re ipſa.

Et, ne per me ſtet, quo minus utraque hæc erudita penna, amica *συγκράσει* intercedente, ad grandia, ad quæ apta data eſt, quam primum invitetur, promptaque reddatur; nihil regerere ad quælibetcunque à D. *Stenonio* in me ejecta fuerint, conſtans eſt & immotus animus. Uti etiam toties memorato noſtro *Blaſio* ſeriò ſcripſi, & animadvertendum dedi; quantum detrimenti ex hujuſmodi jurgiis, ſapiente Prudenteque viro indigniſſimis, ad rem literariam publicam privatamque derivaretur. Atque reconciliationis exoptatæ, ſaltem induciarum, ſilentiique mutui ſpem,

ſpem, & de ſe, & de D. *Stenonio* habendam, dedere haud parvam nuperrime ad me ſcriptæ, ejuſdem noſtri „ communis amici literæ: quibus intelligo inter alia D. *Stenonium Blaſium* noſtrum inviſiſſe, nihilque „ niſi ſummam modeſtiam ore & geſtibus oſtendiſſe. Itemque editionem ſuppreſſam ſponte, credi: atque alia melioris Stenonianæ mentis indicia δεικτικὰ aliunde mihi innoteſcunt.

Quod autem ad *Veterum* à te allegatorum authoritatem, *CL. Domine*, & expectandam inde partium harum reconciliationem: eatenus quidem fateor, hiſce nobiſque, ſi reviviſcerent, ſatisfacerent, quatenus fortaſſe ductuum illorum ſitum notum ſibi ſuo tempore fuiſſe, aſſererent; non vero quatenus ex intermediorum temporum tenebris, quibus involuti iidem fuere, in lucem noſtram reproducti ſunt. Ut de in Lucem *prima repretractione detectioneque* quæſtio nihilominus ſuperfuerit, cuinam attribuenda?

Haud ſecus ac non ita pridem amico nonnulli intimo, de *Circulationis* San-

Sanguinis inventione, mecum loquenti dixiſſe me memini: forte eandem veteribus haud ignotam fuiſſe, ſubſecutis tamen inde temporibus ignorantiæ involucris obtecta poſtquam diu latuit, detectam denuo eſſe. Veteribus autem quod fuerit nota Circulatio, ille probare conabatur ex *Eccleſiaſtæ* verbis his: ותשבר כד על-המבוע ונרץ הגלגל אל-הבור:

Eccleſiaſt. Salom. c. xii. Hebrei textus, verſioniſque LXX. Interprett. V. 6. Syriaci & Arab. V. 7. Jun. & Trem. V. 8. in fine.

Quæ LXX. *Interpretes* vertunt: Καὶ συντριβῇ ὑδρία ἐπὶ τῇ γῇ (vel, ut varia Lectio ſubſtituit, ἐπὶ τὴν πηγὴν,) καὶ συντροχάσῃ ὁ ΤΡΟΧΟΣ ἐπὶ τὸν λάκκον. Id eſt: *Et conteritur* (ſive *frangitur*, ut habet verſio *Arabica*) *hydria ſuper* (vel *ad*, ut *Junius* & *Tremellius* transferunt) *Scaturiginem ſeu fontem*; & *Volvitur* (*convolvitur*; vel potius, uti eſt apud D. *Hieronymum*, *confringitur*) ROTA *ſuper puteum*, ſive *ad ciſternam*, ut *Junius* & *Tremellius* malunt. Quod Salomonis ænigmaticum *ſenectutis* & *mortis inſtantis* ſymbolum, ita explicabat: ut per *Hydriam*, Venam cavam: & per *Scaturiginem Scatebram* ſeu fontem, Arteriam magnam, ad venam cavam conſtitutam: & per *Ciſter-*

Ciſternam, ſive puteum Cor, ſanguinis ſpirituumque vitalium culinam, & promptuarium, *puteo* non diſſimile, intelligi vellet. Et denique per הגלגל (ſive τὸν τροχὸν LXX. Interpretum; cum Hebræis *Rotam* ſignificet, à גלל, *volvit, convolvit*) Circulationi rotationive inſervientes, tum arterias, à corde ſanguinem ad partes alendas propellentes; tum venas, ab iiſdem ad cor revehentes.

Appoſite ſane, & venuſte Salvaque manet, ex laudati *Hieronymi* commentatione, elicita Regum Sapientiſſimi mens: Hieron. in comment. h. l. opp. T. V. p. 33. b. edit. Plantin.

„ Quemadmodum Rota, per quam „ de lacu & Puteis levantur aquæ, ſi „ confracta fuerit, jam haurire aquam „ non licet, & aquæ uſus intercipi„ tur: ſic organa dicta (quippe qui„ bus corporis humani partibus ali„ mentum ſubminiſtratur) confracta „ ſi fuerint, facultates naturales & „ vitales deficient, vitaque ipſa reti„ neri non poterit. Quicquid ſit, vulgo ſaltem detectio ejus Myſterii Naturæ noviſſima CL. *Harvejo*, ſupra toties allegato, tribuitur. Sit ne verò

Patris

Patris *Pauli Veneti* (ut tu quidem alibi in [a] epiſtolis, opportune adeo luci datis, refers ex CL. *Veſlingii* teſtimonio) induſtriæ Vendicanda ? judicent dicantque alii, qui velint. Sufficit mihi, rei veritatem noviſſe.

[a] Th. Barthol. Epiſt. Med. Cent. 1. ep. XXVI. fine. p. 115.

Non poſſum non *Corollæ* loco, novum hoc literarium addere: CL. puta V. D. *Iſaac Voſſium* caſtra conſueta hactenus mutando, ſe à Philologicis ad Philoſophica, velut ex profeſſo ſuis experimentis & obſervationibus excolenda, accingere. Quonam vero omine, tu facile ominabere, *excellentiſſime vir* qui probe noſti, quantum illa ab his differant; quantæ molis, quantæ experientiæ, quanti præſertim Ingenii, Judiciique ſit, *Philoſophiam ex merito colere*; & quicquam inſigne (quod quidem à tanto quoad Cætera, viro expectabitur,) in iſta nominatim parte ejuſdem, moliri. Edidit, inquam, nuper tractatulum de *Lucis Natura & proprietate*: in quo cum Nobiliſſ. *Carteſium* refellere potiſſimum tentet, V. CL. D. *I. de Bruyn*, in Academia hac noſtra Florentiſſima Phyſices ac Matheſ P. Profeſſoris, & pro tempore Rectoris,

ris, pennam (quippe epiſtolam hic ad D. tract. X. *Februar.* noviſſime elapſi ſcripſit, & jamjam edi curavit) Prolexit.

Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla referre

Illum inde, ego ſaltem nequaquam video: imo, ſi in reliquis, quæ vir eruditiſſimus *in calce Præfationis ad Lectorem* promittit, Feliciorem ſe non dederit, operam luſiſſe ferè dixerit mecum, quiſquis ingenue ejuſdem hypotheſes, Theſes, ſuper inſtructaque ratiocinia ad veritatis Rationiſque lancem revocarit. Sed videtur eundem ſtudiorum veritas valde delectare.

Dum has ita pertexo; ecce in manus venit alter eruditiſſimi viri liber, *de motu Marium & ventorum*, à prelo fere adhuc calens. Qui cujuſnam ſit ponderis, cujus efficaciæ, ſimulac nonnulla negotia, quæ adhuc me alio vocant, occupantque (& tardioris quoque hujus Reſponſionis cauſa ſunt,) miſſa fecerim, expiſcabor. CL. etiam D. *Dimerbroekium* meum in Medicina Præceptorem Promotoremque Plurimum honorandum, ANATOMIAM ſuam, omni, qui dabilis apparatu, formaque auguſtiſſima adornandam nunc prelo dicaſſe ſcio; teque ſcire volo. Ne tamen ipſe me dixiſſe ſentiat, cavendum reor; cum animum illum ſuum diſſimulet: forte ne operis iſtius editionem ſummope-

re ſperantium patientiam præmatura divulgatione vexet; at ſpem potius votumque ut prævertat, & anticipet. Quando vero lucem viſura ſit, parum eſt quod prædixerim; præcipue dum tot interturbationes πράξεω-, & muneris ordinarii occupationes, quot experientiſſimum virum obſtrictum quaſi tenent, ſubirrumpere indies novi. Hic manum de tabula. Et tu, *Clariſſime Excellentiſſimeque* BARTHOLINE, interim Reipublicæ literariæ bono, ut ſoles, ſtudere perge; meque favorem tuum bonevolentiamque illam mei perſentiſcere porro fac, qui

Ultrajecti, in Muſæo meo xxvi. Junii A. v. M. DC. LXVIII.

Clariſsimo Nomini tuo

Integrè & humiliter addictus

N. HOBOKENUS.

VI.

Cl. D. *Nicolao Hobokeno*, L. A. M. Phil. & Med. D. ac in illuſtri Arnoldino Profeſſori,

S. P.

Steinfurtum.

Clariſſime Domine, & amice pl: venerande,

EXemplaria diu deſiderata accepi tandem 28. *Septemb.* Quæ mox amicis deſtinata diſtribui, qui omnes juxta me, ut

ut gratum, ita & benevolum erga te teſtantur animum, precando CLaritati veſtræ in Provincia ſuſcepta felicem proſperum ſucceſſum, ad gloriam Dei, & emolumentum familiæ. Muſa mea non tantum meretur laudem, quantam innuis, ex teſtimonio CL. p. t. D. Prorectoris: nam . . . .

Reſponſum autem *duarum* harum *Quæſtionum* expecto.

Prima eſt: *An* IMPOTENTIA SEMINANDI *à primo inſtanti Matrimonii, ſit ſufficiens cauſa dirimendi idem matrimonium in iis, qui per tredecim annos in matrimonio vivunt? Poſito* etiam *quod utraque perſona ſit actu iſto contenta?*

Secunda: *An mulier poſt partum duarum prolium ita poteſt manere* ARCTATA; *ut non detur viro ingreſſus? Et ſi ſic eſſet arctata, an poſſit quidem impraegnari?*

Duo hi caſus nuper mihi obviam facti, de quibus inquam judicium veſtrum, ut & DD. Collegarum expectabo.

Quoad *Luem catagioſam*, ipſa imminuitur. Numerus mortuorum, hujus ſeptimanæ eſt *quingentorum & ſexaginta.* Curatores Leidenſes necdum conveniunt; & pulpita vacant adhuc Profeſſoribus. *Diemerbroeck* de *Peſte*, jam brevi reviviſcet: ejus vero *Anatomia* cum languore procedit. Typographi non in-

clinant ad mei noti tractatuli editionem : & ipſe in ſumptus, mihi faciendos vix poſſum animum vertere. Vale & amare perge.

Amſtelædami 1 Novembr. 1664.

Omni obſequio paratiſſimum

JOH. BAPT. à LAMZWEERDE.

VII.

CL. V. D. *Joh. Bapt. à Lamzweerde* L. A. M. Med. Doct. & apud Amſtelædamenſes Practico eximio, amico integerrimo.

S. P.

Clariſſime & experientiſſime Domine,

HActenus reſponſo tuo, elapſi anni *Calendis novembris* ad me dato, fruſtra quicquam reddere volui, multifariam diſtractus indies & impeditus. Præter notiſſimos enim Praxis & Profeſſionis labores, ordinariaque avocamenta, tuo

Exemplo monſtrante viam,

maximi occurrit momenti negotium. Uxorem id circa tempus duxi, ſedem familiarem mutavi; eaque peragere debui, quæ ex novello fluunt inito conjugio. Quæ quidem apud te, ſinceræ & integræ noſtræ neceſſitudinis

tudinis ſatis probe conſcium, multis diducere ſupervacaneum, imo indecens puto.

Omnibus itaque neglectis, aut ſepoſitis extraneis, & voto noſtro minus faventibus rebus, ad *Quæſtionum* illud deſideratum par ſolvendum recta procedo. Cui quidem breviter & facile (quantum ominor) fiet ſatis.

Quæstio Prior.

§. 1. Et ad priorem quod facit, quamvis ad forum Theologico Juridicum pertineat, tamen ne intactam eam tranſeundo, tibi mihique peccem; quæ meo, necdum ab ejuſmodi rebus degeneranti, obverſatur animo, promam quoque Sententiam.

§. 2. Quæritur nimirum: *An* IMPOTENTIA SEMINANDI *à primo inſtanti Matrimonii, ſit ſufficiens cauſa dirimendi idem Matrimonium in iis, qui per tredecim annos in Matrimonio vivunt? poſito etiam, quod utraque perſona ſit actu iſto contenta?*

§ 3. Sed priuſquam reſpondeo, dilucidare verbo oportebit, *quidnam per* Impotentiam Seminandi ſignificari poſſit? Quippe in *Dubiis*, terminorum data genuina interpretatione, cauſæque variæ accurata aſſignatione, & diſtincta explicatione, planus ad ſanioris ſententiæ intellectum patefit aditus.

§ 4. *Duæ* autem *cauſæ* ſunt, à quibus *Impotentia ſeminandi* dependet. Eæque vel ſingulatim & *ſeorſim*, vel (quod longe gravius) ſimul & *conjunctim* eam efficientes.

§. 5. Alia nimirum *Intemperies*, alia *partium prava conformatio*.

§. 6. Ut *vel* intelligere liceat illud, quod Theologi caſuiſtæ per *Frigiditatem* (ſeu frigidam viri, aut mulieres intemperiem, & inde natam ineptitudinem ad ſemen generationi habile, ac virtute prolifica turgidum, aut conferendum, aut collatum concipiendum fovendumque) intelligunt.

§. 7. *Vel* etiam partium genitalium, in viro aut uxore (de alterutro enim eſſe videtur controverſia,) notabilem pravam conformationem; & per eandem deſideratæ imprægnationis impoſſibilitatem, aut ſaltem coitus imperfectionem.

§. 8. *Vel* vitium hoc utrumque concurrens.

§. 9. Sed de utriuſque *concurrentia* (utpote rariſſime obtingente) non eſt, quod ſolicitus ſim: cum nihilominus voto factum fuerit ſatis, ſi *alterutrum* modo enucleavero *ſenſum* anteriorum: ſingulique quid important *priores*, oſtendero. Conſimilis enim omnium eſt ratio.

§. 10. Si itaque horum PRIOR *ſenſus* obtineat

obtineat (uti obtinere arbitror, ex *diuturna* adeo ſubſecuta *cohabitatione*, & *converſatione continua*,) ajo illam inſufficientem, imo *nullam cauſam eſſe dirimendi* Matrimonium, jam rite & jure initum.

§. 11. *Probatio* ejus ſententiæ petitur illico, & pateſcit ex *Ratione*, & *Iure*, tum divino, tum humano, expreſſis & confirmatis.

§. 12. *Primo*, quia non præjudicat *naturæ* Matrimonii; quin ea omnia vel hoc caſu dato, adinveniantur, quæ in genuino matrimonio obtinent.

§. 13. *Tria* enim ſunt, quæ Matrimonium laudant, & indiſſolubile reddunt ſervantque: *Honeſtas* puta, *Vtilitas* & *Delectabilitas*.

§. 14. Hæcque in præſenti caſu ſic accepto, obtinere, facile *probo* 1. *Honeſtas* quidem (cujus maxima habenda eſt ratio, & haberi voluere Jura) obtinet. Cum eadem, quæ qualecunque Matrimonium *honeſtum* faciunt, tum *ſolennia*, *ritus*, tum *formalia legitimi Matrimonii naturam* ſignificantia, locum habere ſupponantur.

§. 15. Definitur JCtis. *Matrimonium*, quod ſit *viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem continens. Imperat. Inſt. l. 1. t patr. poteſt. §. 1. D. l. 1. de rit. nupt.*

Datur autem hoc caſu, vir mulierque. Datur fidei ſinceræ collatio; & inde rite ſubſecutum vinculum, conjunctio, & vitæ conſuetudo tot per annos.

§. 16. Et nihil præjudicii aliunde ortum allegatur, quod *vitioſæ copulæ* nomen huic matrimonio indere poteſt: conſenſus enim & conſilium, ex Rationis & Juris præſcripto requiſitum, præceſſiſſe præſumitur. Niſi quod ſola *intemperies* dicta prætendatur: quæ, cum ſe habeat inſtar cæterorum affectuum præter naturalium, nihil vitii moralis, inhoneſti, aut turpitudinis ſignificabit, aut importabit. Ergo *Honeſtas* datur.

§. 17. Et II. *Vtilitas* quoque invenitur, vario reſpectu. *Publica* datur, datur *privata*.

§. 18. *Publicam* probant exemplum bonum, per amplexum ordinatæ vitæ, Inſtitutionem Familiæ, hincque ædificationem Reipublicæ, & quæ alia commoda ad Rempublicam ex Matrimonio fluunt; excepta Liberorum, hactenus negata procreatione, &c.

§. 19. *Privata* nihilominus conſtat utilitas, mutuus concurſus auxilii, opum; & quæ ex honeſtiſſima illa copula, & combinatione emergit promptior, uberior copia

pia inſerviendi ſibi invicem, proximo, & in omnibus omnium Largitori Deo; præcipue ſi cui viro talis obtigit uxor, qualem deſcribit Regum ſapientiſſimus, *Proverb. Cap.* XXXI *v.* 10 *& ſeqq.*

§. 20. Fateor equidem, quod tanta utilitas illo in caſu, per *liberorum defectum* non detur, quantam quidem, ſi prole ornetur matrimonium, dari conſtat. Inde enim promanat generis humani, & familiæ propriæ propagatio & conſervatio; ſuique nominis, dum per individui ejuſdem mortalitatem non licet, per ſpeciem poſterorum, è nobis ſuccedentium memoria diuturnior. *Idcirco etenim filios filiaſve concipimus* (inquit JCtus. in *l.* 220. *fin.* D. *de V. S*,) *atque edimus, ut ex prole eorum earumve diuturnitatis nobis memoriam in ævum relinquamus.*

§. 21. Illinc tamen minime concludendum, quod utilitas non detur. Haud ſecus ac ſi collectivum, per unius defectum in totum aboleri cenſeam. Quod abſurdum. Ergo etiam datur *Vtilitas*, eaque multiplex hoc ipſo caſu.

§. 22. Et III. denique *Delectabilitas* deprehenditur, caſus licet dictus obtineat. Datur enim mutuus, ſuperans quemvis alium, Amor, & omne ſuperans ſtudium;

mutuique miniſterii collatio familiariſſima, amiciſſima, jucundiſſima.

§. 23. Et ſi vel naturalia ſpectemus: datur concurſus libidini moderatæ explendæ par. Non obſtat enim *intemperies* illa *frigida*, quo minus debita conjugatorum Naturæ reddi & perſolvi queant.

§. 24. Quod autem *conceptio* & *partes* non ſequantur (ut fateor quoque lubens), *imminuit* quidem *delectabilitatem* copulæ, & dolorem creat; præſertim nobis Chriſtianis. Quippe qui Verbi divini myſteriis plenè inſtructi, ſincerioris Religionis ſenſu ducimur; & *benedictionis* titulo liberos accipiendos eſſe ſatis novimus.

§. 25. Ut, cujus fœderi conjugali affatim benedicere benignus vult Deus, illius menſam ornet liberorum corona, ex vatis Regii expreſſiſſima mente, *Pſalm.* CXXVIII. v. 3. Quorum vero fidem (quod itidem notandum) & pietatem probare vult ſupremus idem rerum arbiter, iis ſæpe ſobolem vel ad tempus, vel per totum vitæ decurſum, alia atque alia intermiſſa cauſâ fœcunditatem impediente, deneget. Quemadmodum teſtantur exempla veteris & novi inſtrumenti, atque hodierna multiplex docet experientia. Salva interim concludenda ſupra aſſignata, manet *Delectabilitas*.

§. 26. *Se-*

§. 26. *Secundo*, hujus prætenſæ cauſæ nullitas apparet, ex eo, quod *neque jure Divino, neque humano huic Caſui cautum ſit.*

§. 27. Et quantum ad *divinum* quidem, quod norma reliqui juris eſt; Rex & Legiſlator ſummus, & Matrimonii inſtitutor Deus, ore filii D. Servatoris noſtri, ad quæſtionem Phariſæorum illam (*Matth. cap.* XIX. *v.* 3 *& ſeqq.*): *An liceat homini dimittere uxorem ſuam, quavis ex cauſa?* haud dubie aſſignaſſet quoque hanc ſimilemve ſi cauſa dirimendi matrimonii dicenda fuiſſet.

§. 28. Sed quandoquidem hîc, ut alibi, nihil ſimile expreſſit, ſtatuitve, & jus *humanum* ei derogare nec poteſt, nec velle præſumi debet: & juxta *l.* 100 D. *de R. I.* omnia, quæ jure contrahuntur, contrario jure demum pereant; ſequitur nobis hîc tacendum, cauſamque aſſumendam minime eſſe. Videſis *Ioh. Kitzelium ſynopſ. matrimonialis Theorico Practicæ cap.* VIII *th.* 1. *lit. d. p.* 233. *Et ibid. th* 4. *lit. b p.* 239.

§. 29. Accedit, quod, ſi illa *intemperies* prætenſa cauſam Divortii daret, & matrimonium, *quod non procreandorum liberorum ergo* contractum eſt. Atqui quotidiana demonſtrante praxi, multoties contrahitur matrimoniale fœdus, multoque conjunguntur, quorum animus nullus progenerandi liberos.

§. 30. Qua-

§ 30. Qualia ſunt illa matrimonia, quæ *Politica* ſolum *ob rationes ſtatus* contracta, communiter appellantur.

§. 31. Si forte tamen aliqua præter intentionem proveniat proles, præſumuntur quidem parentes liberorum procreandorum cauſa ſocietatem injiſſe; ut filii vel filiæ nomen dari, & de jure ejuſdem quod æquum eſt, ſtatui ac decerni queat. Quo ſpectat *l. cit.* D. *de V. S.* §. 3. *& quæ adnotat ICtus. Gothofred. ibid.*

§. 32. Multi quoque copulantur jure riteque quorum nullus eſſe aut prætendi poteſt animus; quia vanus foret propter progenerationis ſpem nullam. Quemadmodum ſe habet matrimonium inter *Grandævos* initum, quod Ratione duce, & teſtibus moribus quotidianis, cenſetur eſſe conjugium, ſocietaſque conjugalis vera legitima; quamvis omnis liberorum procreandorum ſpes manifeſte, per ætatem) uti in caſu præſenti per morbum) præſciſſa appareat.

§. 33. Ut nihilominus natura matrimonii conſiſtat, & conſociati *unius carnis* appellatione veniant, & digni eadem ſint cenſendi, ex generali inſtitutionis mente, *Geneſ. c.* II. *v.* 24. *Matth. cap. cit. v.* 5. *&* 6. Et argumento *D. Pauli* I *ad Corinth. cap.* VI. *v.* 16. *& ad Epheſ. c.* V. *v.* 31.

§. 34. Quod

§. 34. Quod quidem conjugale vinculum tam arctum prædicat D. Servator, ut (appoſite certe & eleganter) *virum agglutinatum uxori ſuæ eſſe*, dicat: ἄνθρωπος προσκολληθήσεται τῇ γυναικὶ, ſunt authentica verba Textus, *loc. Matth. cit. v. 5.*

§. 35. Quid? temeritas quoque mihi videtur habenda, infœcunditatis illam præſumptam cauſam, *Intemperiem*, ſtatuere immutabilem, ex eo quod *tredecim annorum* ſpatium duraverit; quoniam ex Naturæ vario luſu, has illaſve fœminas ſerius citiuſve fœcundas fieri, & imprgænari (poſita puta ſupradicta utriuſque coëuntium temperie, vel à Natura, vel ab Arte emendata) diſcamus quotidie.

§. 36. Et, licet forte tanta, & tam inveterata ſit intemperies, ut infœcunditas digne concludi poſſit; tamen procedit, quod hactenus dixi; & eo, *quod hodiernorum temporum collatio cum priſtinis veteris Inſtrumenti iſtis* inſtitui debeat.

§. 37. Eaque inſtituta docebit, per incrementum tam grande humani generis, & ad tam longam temporum ſeriem, individuorum numerum (qui vel Apoſtoli Gentium tempore, cum aſtrorum cœli multitudine, & cum arena, quæ eſt ad oram maris, innumerabili comparatus eſt, *ad Hebræos*

cap.

cap. XI. *v.* 12.) inſecutum, ſcopi & finis illius de *progenerandis liberis*, ad mundi exordium ab Autore Naturæ ſtatuti, rationem adeo infringi: ut, quamvis hodie ad maris & fœminæ copulam hanc aut illam, non ſequatur ipſa liberorum procreatio, nihil tamen inde efficaciter deduci queat, ad Matrimonii illius nullitatem, aut diſſolubilitatem.

§. 38. Quandoquidem, ſi ex horum forte vinculo conjugali nulli, ex aliorum ſane (ut pote innumeris nunc datis conſociationibus fœcundiſſimis) copula liberi ſatis multi provenire poterunt.

§. 39. Et tot hîc illicque proveniunt; ut, ni maligno quo & contagioſo morbo, bello aut alio delteerio quandoque graſſante malo numerus imminuatur, metus non uni ſit, ne terra omnes alere reſpuat, ſed in mutua tandem homines ruant viſcera devoranda.

§. 40. Nec juvat contrariæ ſententiæ Patronum, utriuſque partium pronus conſenſus. Sive enim *utraque perſona contenta ſit*, ſive non, nihil inde evincitur in detrimentum & diremptionem matrimonii; licet, ſi de ejuſdem *favore* & *conſervatione* controverſia ſit, multum præſtet.

§. 41. Ut quamvis per rationem, per jura, & LL. divortii legitima adſit & rata

cauſa,

cauſa, nihilominus ſalvum ejuſdem manere poſſit vinculum, ſi modo partium detur ad matrimonii continuationem utrimque *conſenſus*.

§. 42. Alia enim eſt ratio matrimonii *dirimendi*, longe diverſa ab ea, quæ eſt ejuſdem *conſervandi*, & *indiſſolubiter continuandi*.

§. 43. Quoninm hæc *abſoluto* nititur jure, & expreſſa D. Servatoris cautela: ὃ οὖν ὁ Θεὸς συνέζευξεν ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω; *quod igitur* Deus *conjunxit, homo ne ſegreget, aut ſeparet. Matth. cap cit. v. 6. fin.*

§. 44. Illa vero jure tantum *permiſſivo* (quippe quod, caſu in jure Divino, aut ei miniſtrante humano, fundato, poſito ſolummodo obtinet) nititur.

§. 45. Et hæc matrimonialis copulæ eſt *prærogativa*, quod *extra partium contrahentium voluntatem cadat* (præſertim ſi ſemel conſummata fuerit) ejuſdem *diremptio*: contra quam ſe res habet in aliis contractibus, ubi utriuſque partis concurrens beneplacitum diſſolutioni locum facit.

§. 46. Quod etiam innuit *l.* 159. D. *de R. I.* ubi particula *fere* recte obſervata eſſe debet; uti ſenſus genuinus quoque *l.* 8. *C. de repudiis*, &c. clare vult.

§. 47. Inde enim eſt, quod matrimonium *ſacratiſſimum* appelletur *fœdus*; ut, ſicut

nonniſi

nonniſi Deo inſtitutore & Auſpice Matrimonium contrahi ſolet, ita dirèmptore eodem diſſolvi demum oporteat. Videſis *Ioh. Kitzelium Synopſ. matr. allegat. l. c. l. f. p.* 233.

§. 48. Et omnibus his adſtipulatur ſententia (niſi fallor) à *Curia Amſtelædamenſi* in ſimillima cauſa lata: qua pactum matrimoniale ad *ſeptennium initum*, caſu quo ſpatii ejuſdem intervallo aut partus, aut ſaltem imprægnatio contingeret; licet ſucceſſus pacto non reſponderet, ratum tamen haberi voluit, & efficaciter continuandum decrevit. Uti circumſtantiis optime inveſtitam eandem reddere, & ſuo confirmare teſtimonio poſſet apud vos ſummus practicus D. *Paulus Buiſius*, JCtus. Prætori urbis à Conſiliis criminalibus; &c. ex cujus amiciſſimo ore habeo.

§. 49. Quid obſtat itaque, quo minus concludam: Ergo conſtat, *priore* antedicto ſenſu Quæſtionis obtinente, *nullam* dirimendi Matrimonii *cauſam* inveniri.

§. 50. Si vero *ſenſus* Quæſtionis *alter* locum habeat (uti habere vix poſſe præſumo, ex natura Phraſiologiæ tuæ; & ob eandem tam *diuturnæ cohabitationis* ſupradictam rationem:) hoc eſt, ſi per IMPOTENTIAM SEMINANDI intelligatur

„ partium

„ partium genitalium, in viro aut uxore *notabilis prava conformatio*; & per hanc deſi-
„ deratæ *impraegnationis impoſſibilitas* aut ſal-
„ tem *coitus imperfectio*: tunc majoris mo-
„ menti cauſa divortii concedendi ſubeſſe
„ videtur.

§. 51. Uti, ſi forte in viro detur *Teſtium alterutrius, vel utriuſque defectus*, aut *Penis.* (Schapham nos ſcapham nominare oportet) *ineptior figura*, aut *parvitas juſto minor*, aut *extenſionis erectioniſque imbecillitas incurabilis*, &c. Aut ſi forte *Vterus Mulieris obſtructionem minetur*, vel meatus ad eundem fere *conluerit*; vel tantum ſit *anguſtatus, ut virili membro ingreſſus fere negetur*, &c.

§. 52. Verum, ne confuſe procedendo, infeliciter laborem, reſpondeo itidem *ex hypotheſi.*

§. 53. Si nimirum prænotatum ſupra Inſtitutoris ſcopum in ſtatuendo Matrimonio, & ordinarium eum, quem contrahentes ſibi præfigere ſolent (cohibitionem puta affectuum inordinatorum, ob continentiæ negatum peculiare donum, intra præſcriptum legitimi thori; ut & illud, quod avide expetunt, conſequantnr, & tamen in peccatum non incidant) reſpiciamus, naturalis quidem & moralis aderit cauſa, cur *Matri-*

monium tale valde diſpliceat, & diſſolvendum videatur.

§. 54. Illo enim caſu: *Libidini*, nedum *generationi ſatisfieri* nequit; & alterius nocentis partis ſubeſſe præſumitur fraus & dolus. Unde quidem grande infertur præjudicium: docente præter Rationem, Jure paſſim, ubi de fraude & dolo agitur; adſtipulantibus quoque moribus hodiernis.

§. 55. Et *fraus* præſumitur; quia alterutram illam partium contrahentium vitio, aut defectu laborantem, ſciviſſe oportuit, Matrimonium puram putam rationem *Politicam*, aut *OEconomicam* non ſpectare; ſed & *naturalem*.

§. 56. Cujus, inquam, intuitu, quomodocunque ſe habeat res familiaris, aut ſtatus, incontinentiæ illud moderamen, ex Naturæ notiſſimo inſtinctu quærant contrahentes & conjugandi; atque, ni inveniant, dolent.

§. 57. Verum quæritur, an ea ſit CAUSA JUSTA & SUFFICIENS *dirimendi Matrimonii, non ſolum jure & rite initi, ſed tot annorum cohabitatione & converſatione confirmati?*

§. 58. Et, ſi ſuperius quoque adnotatam obſervationem *ætatis mundi*, priſcorumque temporum cum hodiernis faciendam, collationem intueamur; alia ſententia videtur ferenda,

renda, atque non ſufficiens cauſa dirimendi hujus matrimonii exiſtimanda.

§. 59. Et ad forum *Conſcientiæ* (cujus certe jura longe exactiora, imo ſeveriſſima ſunt; atque pluris habenda, & obſervanda magis, quam quæ externum forum politicum inſtruunt, in eoque coluntur) delatus caſus, dabit locum animadverſioni huic, quod, uti ab Ethicorum filiis inter malum turpe & malum triſte cadens, notatur diſtinctio: ſic etiam ſit nobis inter *cauſam* Matrimonii dirimendi *triſtem* & *turpem* diſtinguendum.

§. 60. Diſpar enim earundem ratio eſt, ut argumentum à cauſa *turpi* ad *triſtem* deſumptum, efficax vere nunc cenſeri nequeat.

§. 61. Et diſparitas illinc patefit, quod *illius* cauſalitatem Ratio, Jura & leges expreſſe confirment.

§. 62. *Iura* quidem, & LL. in textibus ſupra citatis.

§. 63. *Ratio* quoque; quia datur fidei tam ſincere, & juſte mutuo datæ ac confirmatæ læſio; unde *unius carnis* appellatio ceſſare poteſt, & demum ceſſat. Ubi enim vel *Adulterium* committitur, vel *malitioſa* accidit *deſertio* (quæ duntaxat ſunt SS. Verbo Dei notæ cauſæ juſtæ Divortii, *Matth. cap.* v. *v.* 32. & *C.* XIX. *v.* 8. 9, *&c.*) ex vi, fidei

matrimoniali & amori illata, ipſo actu conjugatorum animi & corpora ſeparantur: & ſic unitas neque carnis obtinere amplius poteſt.

§. 64. *Hujus* vero (*triſtis* nempe cauſæ) cauſalitas vacillat in Ratione, & in Jure.

§. 65. In *Ratione*, propter ſuperius adducta & confirmata argumenta, de liberorum videlicet procreandorum ſcopo, ejuſque Ratione per *Mundi ſeneſcentem ætatem* infracta, &c. Unde ipſius quoque *Matrimonii* neceſſitas labefactata tantopere eſt, ut *Cælibatus* præconium ſumme vigeat, & utcunque cœlibes à continentia laudentur: uti patet vel in ipſis Apoſtoli. Gentium monumentis (*in* 1. quidem *Epiſt. ad Corinth. C.* VII. *paſſim*;) præter Patrum Doctorumque aliorum innumera teſtimonia.

§. 66. Verum dices: ſi per Libidinis fruitionem, & licitum uſum, Matrimonium à *Cohabitatione* alia qualicunque diſtinguitur; & præſenti Quæſtionis ſenſu poſito, Libidinis uſus obtinere minus poſſit: ſequitur, eodem ſenſu poſito, non Matrimonium, ſeu conjugium, ſed *ſimplicem cohabitationem* eſſe nominandam, & habendam.

§. 67. *Reſpondeo* verbo. 1. Quod non ſola Libidinis fruitione à Cohabitatione ſimplici diſtinguatur; uti ex poſt dicendis pateſcet.

§. 68. *Re-*

§. 68. *Reſpondeo* 2. Quod hic Libidinis fruitio qualis qualis, licet voto impar, obtineat

§. 69. Reſpondeo 3. Dato non conceſſo, tali defectu, qui cupitum tolleret Veneris uſum, tamen hic Matrimonii appellatio locum habebit, & ab alia *ſimplici cohabitatione* diſtinguetur.

§. 70. Ratione ejus deſumpta ab iis omnibus, quæ in matrimonio *genuino* communiter requiruntur, Quæ quidem aſſignavi ſupra, in communi. JCtorum. Conjugii *Definitione.*

§. 71. Eaque huc ſi reducantur, & huic Quæſtionis ſenſui applicabilia comperientur. Datur enim & hic (1.) *mas* & *femina:* tantum enim defectum, & tantam deformitatem præſumere non licet, qua ſexus. Diſcrimen tollitur.

§. 72. Datur quoque (2.) per fidem datam mutua *conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem continens.*

§. 73. *Individuam* inquam, id eſt, perſe, & ex ſua natura non aptam dividi, propter fidei datæ, & inde affectionis arctiſſimum vinculum, concordes vinciens, non niſi morte ſolvendos. Et talem quidem *conſuetudinem* quæ feminam conſtituat quaſi ſub oculis & cuſtodia maris.

§. 74. Datur denique (3.) *authoritas Legis* divinæ, humanæ jubentis. Ergo itidem genuinum Matrimonium, aut Conjugium (ne de Nomine, ſed de re, uti æquum, controverſia ſit,) ſatis diſtinctum à reliqua cohabitatione qualicunque. Uti etiam eleganter diſtinguit *H. Grot. l. 2. de jure B. & P. C.* V. *n.* 8. *p. mihi* 147.

§. 75. Et in *Iure* huic caſui cautum eſſe; non equidem putem, niſi argumentum à *ſimili* ad hunc deducamus.

§. 76. Et quantum ad Leges *Forenſes*, forte meæ ſententiæ contrarias, jejunus, ſi attente inſpiciatur, ut cunque earundem elenchus. Alioquin conſtat, in favorem Conjugii conſervandi (utpote contractus ſaluberrimi) plurimum Jura Legeſque verti: uti prolixè docent *Beza, tract. de Divort. & Repud. Moz. de Matr. cap ult. Burcholt. de grad. & ad finib. cap. ult, Geil. Lib.* 2. *obſ.* 87. *aliiſque I. Doctores.*

§. 77. Non latet etiam me exemplum unum atque alterum ſententiæ in ſimillimo caſu latæ: qua nimirum à data fide in Foro civili liberati ſunt conjugati; caſu quo defectus partium genitalium, aut prava conformatio inſignis in marito, vel uxore deprehēſa poſt, licet rite initum, Matrimonium ſit.

§. 78. Sed notandum *primo*, talem caſum motum, & divortium in eodem tentatum,

tum, arbitrio Judicis fuiſſe, ad initium copulæ, non *multos poſt cohabitationis annos*,

§. 79. Unde tantum innocenti accidit parti præjudicium, ut fraudis præſumptio evaneſcat, & per conſequens divertendi licentia multum imminuatur.

§. 80. Si enim tam enormis defectus, aut prava alterutrius partium conformatio manifeſte utrique contrahentium innotuit (ſicut facile quidem innoteſcere poteſt cupido ſciendi) & nihilominus in vota rite coitum cohabitatumque tam diu eſt, quæ fraus alterutrius, & quodnam damnum alterutri partium dolo allatũ prætendi efficaciter & cum fructu poteſt? exempla iſta, & præſentem caſum ſit.

§. 81. *Secundo*, obſervandum ex ante dictis, quod exempla à Judice forenſi deſumpta vacillent, ni expreſſa vel clare deducta in jure divino (quod hic regulam unice ponit: quippe in re arbitrio humano ſubtracta, & ſummo, per ſuum Verbum, & noſtram Conſcientiam eam ſimilemque determinanti, Judici Deo integra vindicata ac vindicanda) appareant Legis conſentientis veſtigia. Præcipue dum *aliæ* ſæpe *ſunt Leges Cæſarum* (*monente D. Hieronymo ad Oceanum,*) *aliæ Chriſti. Aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit.* Videſis *Joh. Kitzelii loci cit.*

§. 82. Et quandoquidem manifeſte Divortii negotium ſuperſtruitur oſtenſæ ſupra

cauſæ turpi, *triſti* vero (quæ hujus Quæſtionis eſt, & hic obtinet tantum) nulla favet expreſſa divina Lex, aut clare, quantum ego ſcio, deductum Legis argumentum: quid nos aliter dicemus hic, quam: *Quos Deus conjunxit, homo ne ſejungat*! ſicuti D. Servator cavet *Mattholoc. cit*.

§. 83. Ut pœnitentiæ, doloris quidem hic copia detur: diverti autem, ſeque mutuo deſerere Conjugati *juſte* non poſſint. Nec eſt, quod Jura culpent, aut Leges objurgent: cum rei publicæ (quæ privatis anteponenda eſt) interſit, ut, quod quiſque jure ſibi adſciſcit, nonniſi jure deſerat; ne rerum tandem ſumme periculoſa confuſio inde originem trahat.

§. 84. Et in rebus ſtrictæ fidei (qualis quidem eſt maxime res matrimonialis, ex ſupra adductis rationibus) omnis avertenda inconſtantia, & temeritas eſt. Præterquam quod ea Conjugii ſit natura, & communis exiſtimatio, ut ſine gravi utriuſque partis, tam innocentis, quam nocentis, detrimento diſtrahi & diſſolvi nequeat.

§. 85. Super eſt igitur hôc caſus ſenſu poſito, nihil aliud, quam quod ſuammet imprudentiam, ſuam temeritatem in fide danda, & data, ſi per eos liceret, violanda; ſuammet Libidinis immoderatæ turpitudinem,

quam

quam hoc pacto turpiter produnt, reprehendant, ſi quid reprehendere velint.

§. 86. Et dum *pietatem* colunt, ſecum reputabunt utiliter: ſi ad tam longum tempus Libidinis aculeis ambo potuerimus reſiſtere, eoſque obtundere, eo quod cecidit in ſortem noſtram, contenti, anne difficile erit, ſequentes per annos, quos ſuperare dabitur, perſeverare? &, me vate, facile erit, ſi ter optimum maximumque Deum noſtrum, ut decet, pergant venerari. Et dummodo, omnibus eundem Deum puriſſimum puramente, puroque corpore colentibus, deprædicatam tantapere *Caſtitatis* & *Continentiæ* laudem, inde manantem bene conſiderent; ad illud pium, fidei conjugalis caſte ſervandi, inſtritutum maxime proni perducentur.

§. 87. Atque hæc qnidem, *amiciſſime Domine*, eſt mea ſententia, & ad *priorem Quæſtionem* pro temporis præſentis anguſtia diducta reſponſio. Quid autem CL. meus collega, D. *Heideggerus* (cujus quidem unum inſtar omnium, conſilium eſſe velim) eodem de negotio ſentiat, edocebit his adjuncta authentica Reſponſio: qnam pauculis conceptam, raptiſſime propter avocamentorum magnum & frequentem numerum, in chartam conjecit.

Quæstio Altera.

Ad *alteram* (quæ noſtri proprie fori eſt) Quæſtionem addam quoque ea, quæ meam tangunt & ſignificare poſſunt ſententiam. Et quidem ob exiguum ejus apparatum, verbo uno atque altero.

§. 1. Quæſtio ipſa bimembris eſt: & 1. quæritur, *An mulier poſt partum duarum prolium, ita poſſit manere arctata, ut non detur viro ingreſſus?*

§. 2. Et 2. quæritur ex illatione: *An, ſi ſic eſſet arctata, poſſit quidem imprægnari?*

§. 3. Ad *prius* membrum quod attinet; *prænotandum*. 1. Non hîc ſupponi arctationem *ſupranaturalem*, & ſpecialiſſimo Dei intuitu (uti ſæpe olim contigiſſe, exemplâ veteris Teſtamenti demonſtrant) exercitam; quippe cujus rationem fere omnem exhaurit Fides, de Dei abſoluta potentia, liberrima operandi, augendi, perficiendi, impediendi, imminuendi, deſtruendi, voluntate.

§. 4. Non *naturalem* quoque. Quæ in Utero quidem ordinarie & tantum obtinet: uti pateſcit per Rationem, quotidiana experientia confirmatam. Illum enim in finem ſubſtantia Uteri membranoſa eſt, multis donata plicis; ut dilatari pro caſu neceſſitatis, & contrahi poſſit. Quæ etiam ad tempus aliquod

quod locum habere ſolet: ut in Gravidis, conformando, alendoque fœtui convenienter plicatarum earundem ope, uterus extendatur; excluſo vero fœtu, poſt partum conſtringatur arcteturque, ſed per ſubſequentes debite inſtitutas coitiones, iterum reſerandus, irrorandus, & conceptioni novæ præparandus, &c.

§. 5. Sed *præternaturalem*, quæ ſingularis aliqua, & extra ordinem Naturæ obveniens, morborum inſtar cæterorum, exiſtimanda eſt: utpote orta caſu ſpeciali (ut pravæ conformationis morbo hoc, vel illo poſito.

§. 6. *Prænotandum* 2. Non *Uterum* quoque ipſum intelligi adeo in quæſtione præſenti poſſe, quam quidem *partes tranſitum ad uterum dantes*, colligitur, quia hic *ingreſſus virilis membri impeditus*, ut coarctationem conſequens appenditur. Et conſtat facile quod ingreſſus membro virili in ipſummet uterum haud detur, ſed ejuſdem orificium duntaxat contingatur.

§. 7. *Prænotandum* 3. *Ætatem vegetam* debere ſupponi, non decrepitam, aut ordidinarium facultatis generatricis vegetæ terminum ſupergreſſam: quippe quia tunc morbus obtineret, qualis ipſa ſenectus eſt; ſupple intemperiei.

§. 8. Quantum itaque ad controverſiæ ſtatum,

tum, quæritur itidem bifariam, I. *An mulier, poſt partum duarum prolium, prava forte partium genitalium conformatione oborta, tantum coarctari poſſit, ut virili membro ingreſſus negetur.*

§. 9. Quæritur II. *An etiam taliter affecta manere poſſit?*

§. 10. Et reſpondeo ad *priorem* partem; quod coarctatio talis & tanta contingere poſſit, quæ virile membrum tranſire non ſinit. Et quidem variis ex cauſis illam naſci conſtat, ut ſupra quoque dixi.

§. 11. Si enim (1.) uteri collo, vicinisve partibus aliqua ſuperincumbat moles (ſicuti in *obeſis*, omentum plerumque in cauſa eſt; gravitate ſua, meatum ad uterum comprimere, & quaſi intercludere neceſſum eſt Ut corpori idcirco alii (quale ſatis notabile & ſenſibile eſt Penis) tranſitus, aut ingreſſus potius, ſaltem requiſitus, liber & facilis non detur.

§. 12. Si (2) in collo uteri, aut in meatu Abſceſſus aliquis naſcatur; eoque forte introrſum erumpente, & medela conveniente neglecta, latera, ſi non tota, ſaltem ex parte, coaluerint; quid aliud colligendum ſequitur, quamſi non occluſio totalis, ſaltem magna meatus coarctatio, Peniſque virilis ab ingreſſu repulſio?

§. 13. Etiam (3) ſi forte circa uterum,

aut

aut in vagina, partibuſque antri pudoris vicinis, carnis quædam pars excreſcat, aut lateribus interioribus adnaſcatur, quidni introducta cenſebitur uteri meatuſque ad eundem oppilatio: & ſic membro virili impedita ingreſſio?

§. 14. Etiam (4.) ſi pinguedine inſigni partes collo uteri vicinæ intumeſcant; præcipue ſi hujus, aut illius lateris vaginæ interioris tumor durus & magnus inexiſtat; quis viam ad uterum arctatam, penique virili tranſitum impeditum colligere recuſabit?

§. 15. Denique (5.) ſi ex uteri procidentia, forte per ſolutam ligamentorum unitatem, collum ejuſdem intorqueatur; vaginam quis infarciri, & penis inde viam ad uterum coarctari, imo obſtrui inficias ibit? Nemo certe rerum gnarus.

§. 16. *Aliam* autem *cauſam alia majorem graviorémque* eſſe; facile patet. Ut quædam ex recenſitis cauſæ licet ponantur, ingreſſus tamen aliqualis peni virili concedatur; ſi nimirum rigiditate ſua valide ſe inſinuet, ſic via ſibi parata. Quæ aliter nulla fere, propter rem vel *comprimentem*, vel *obſtruentem*, vel *infarcientem* & oppilantem datur.

§. 17. Accidente vero coaleſcentia *laterum vaginæ uteri totali*, aut ejuſdem *colli*; difficillima naſcitur ingreſſus, vel violenter tenta-

tentati, ſpes. Sed hoc omne, ut dixi, inter raro contingentia locandum, & caſu demum dato, aſſumendum eſt.

§. 18. Et quantum ad *poſteriorem* nunc partem, *an ne totaliter affecta mulier manere poſſit?* ipſa apparet reſponſio, ſi ad neglectam, aut dextre minus adhibitam medelam animum vertamus.

§. 19. Ejus enim eſt genii *morbus* qualiſcunque; ut, niſi cura corrigatur, ingraveſcat; & quouſque licet, ſedem in parte, aut toto figat.

§. 20. Ceſſabit itaque coarctatio, cauſa coarctante per medelam tutam & convenientem dextre adhibitam, ſublata: & manebit, eadem (uti non raro fieri ſolet, propter ſtolidam illam hominum incuriam) medela neglecta, aut tarde, & indecenter adhibita.

§. 21. Quæ breviter ad *prius* poſterioris tuæ Quæſtionis membrum dicta ſunto. Et inde ad *poſterius* ejuſdem membrum facilis valde fluit reſponſio.

§. 22. Quæritur: *An, ſi mulier ſic arctata ſit, & maneat, poſſit quidem impregnari?*

§. 23. Dixi, quibuſdam caſibus Coarctationis poſitis, virili quidem pudendo concedi ingreſſum aliqualem. Sed, cum talis & tam altus ingreſſus colligi non poſſit, qualis ſatisfacere ſolet utero partibuſque vicinis *debi-*

te

te afficiendis: negandum videtur eatenus, quod *imprægnari* mulier tunc queat.

§. 24. Si enim Uterus non contingatur, imo ſi non contingatur debite, ut ſemen muliebre ad eundem proliciendum, profluat, & à ſeminali, ſuppeditato à mare, ſpiritu in eodem perfundi queat; credere nequeo, *naturaliter* imprægnationem, aut fœtificationem veram fieri poſſe.

§. 25. Ne dicam, hic Rationi minus convenienter præſupponi, quod ex ſolo membri virilis *ingreſſu*, *Imprægnatio*, aut fœtificatio fieri ſoleat, aut poſſit. Cum multa concurrere ad *fœtificationem* genuinam neceſſum ſit: & bonam puta utriuſque eoëuntium temperiem, ſecundum totum ac partes generationi proprias: & aptam genitalium partium conformationem: & deinceps utriuſque ſexus concurſum, debito & modo, & tempore inſtitutum ac peractum.

§. 26. Ut fruſtra concurſio & membri virilis ingreſſio fiat, ſi non & ſemen muliebre præter maſculinum ad uterum; & maſculinum, ſpiritibus ſatis turgidum, muliebre perficiat; & Uterus ad fœtificandum bene diſpoſitus ſit; & ipſa certe mulier grate hilariterque coëat, debiteque afficiatur. Sicut alibi forte accuratius fuſiuſque ſum docturus.

§. 27. Ejus autem teſtis quoque eſſe poteſt

ſteſt, attente conſiderata *Experientia.* Qua conſtat, ex denis ſæpe coitonibus ne unam quidem vera impraegnatione, & fœtificatione beari; imo in quibuſdam (nempe in *effœtis*, quibus per ætatem facultatis generatricis vigor tandem eſt abolitus: ut &. in *intemperie* corporis totius, maxime *uteri laborantibus*) ad nullas unquam coitionec, membri licet virilis inſertio debite procedat, impraegnationem ſubſequi.

§. 28. Quæ quoque breviter à me ad *poſterius* membrum, & ſic ad poſteriorem quæſtionem dicta ſuffecerint.

Reſponſionem etiam CL. mei collegæ D. *Spinæi*, Philoſophi acutiſſimi, inſuper ad eandem quæſtionem mihi ſcriptam, his authentice adjunctam habe. Et hactenus meo ſub præſidio ventilatæ, lucem vident adjectæ hæ *Medicæ exercitationes*: quas cum reliquis tuo penſitandas judicio benevolo mitto. Et, quæ ſequentur, mittere non deſinam. Cæterum gaudeo, patriam pernicioſiſſima illa lue tandem repurgatam rurſum eſſe. Deoque propterea ſingularis debetur gratiarum actio. Vereor autem ne, injuſtiſſime licet, obtruſum nobis bellum præſens marinum majores ſit daturum turbas, majuſque longe illaturum damnum: ni Juſtitiæ idem autor, ſummuſque rerum arbiter Deus noſtri

(ut

(ut optamus impenſiſſime) miſereatur; & faſtoſiſſimos atque improbiſſimos illos aggreſſores, cauſæ noſtræ juſtiſſimæ confirmandæ ergo, redarquat; matureque animum curſumque ſuum iniquiſſimum ſiſtere faciat.

Quantum autem ad Academica: quemnam Cl. ***Lindano*** p. m. DD. Curatores Leidenſes ſuffecerint, ſcire geſtio. Doleo autem communem noſtrum caſum, quod deſideratiſſima illa Cl. D. ***Diemerbroeckii Anatomia*** necdum frui queamus. Gratiſſima profecto erit iterata ejuſdem laudatiſſimi Tractatus, ***de Peſte*** editio. Et valde iraſcor vano illi Typographo, cujus ex promiſſis, Tractaculum tuum lucem viſurum certo certius crediderámus. Sed hæc non infrequenter ſordidorum iſtorum lucri captatorum obtinet inſolentia. Quid conſilii? tentanda tamen alibi res, & ſerio aliorum opera appellanda eſt, aliquo licet cum rei familiaris detrimento. Si, & publicam rem, & me amare te bene novi, per te non ſtabit, quo minus eodem excuſo tandem gaudeamus; habeamuſque eodem ſuper negotio tecum, ut oportet, latius agendi anſam. Vale his *Clariſſime & Experimentiſſime Domine*, & plurimum dic ſalutem individuæ tuæ lecti ſociæ: quam quoque ignotam licet, mea ſalutari ſuo nomine cupit uxor. Salvere etiam Cl.

Senguerdium, *Blaſium*, *De Bye*, *Klenckium* aliosque noſtræ conſortes amicitiæ, jubet

Dedi Steinfurti
28. Martii, ſt. v.
M.DC.LXV.

Tuus
N. HOBOKENUS.

VIII.

Cl. V. D. *Joh. Henr. Heideggeri*,

SS. Theol. Doct. in illuſtri Arnoldino tunc P. Prof. ac p. t. Prorect. nunc in Acad. Tigurina Prof. ord.

RESPONSIO

Ad propoſitam Quæſtionem, circa Impotentiam Semi-minandi, anne Matrimonii dirimendi ſit cauſa.

QUæritur: *An* IMPOTENTIA SEMINANDI *à primo inſtanti matrimonii ſit ſufficiens cauſa* DIRIMENDI *idem matrimonium in iis, qui per tredecim annos in matrimonio vivunt? poſito etiam quod utraque perſona ſit actu iſto contenta?*

Cui propoſitæ Quæſtioni reſpondeo;

I. In Theſi.

Cum IMPOTENTIA allegata non ſupervenerit, ſed antiquior ſit contracto matrimonio: per ſe *juſtam cauſam* primo quoque tempore præbuit Divortio.

Nam Impotentiam non *ſupervenientem*, juſtam cauſam eſſe Divortii, *jure*, tum civili, *argumento text. in l. in cauſis* 10. tum Canoni-

co,

co, *in Can. Decretal.* 27. *quæſt.* 2. ſtatuitur. Et magis etiam evidenti *Ratione* confirmatur.

Conjuges enim ex divina inſtitutione ſunt *una caro*, *Geneſ.* 11. *v.* 24. At, ubi altera pars eſt impotens, id locum non habet. Proinde verum matrimonium non eſt, ſed qualiſcunque *cohabitatio.*

Tum duplex matrimonii *principalis* uterque *finis* eſt, *Generatio* nempe, *liberorum*, & *Incontinentiæ evitatio.* Abſque quo utroque fine, rurſum non matrimonium eſt, ſed communis *cohabitatio*. Uterque autem finis commemoratus *Impotentia* tollitur.

II. In Hypotheſi.

Cum utraque perſona cohabitaverit lubenis, & volens, citra periculum incontinentiæ & tentationis Sathanæ, Gratia Dei & precibus averſum (uti quidem colligo, ex longiore illa cohabitatione); recte faceret utraque pars; ſi in honorem Conjugii, à Divortio abſtineret, quamdiu vel periculum incontinentiæ, & tentatorem Sathanam piis precibus averruncare dabitur; vel flagrantius deſiderium prolis non excitabitur.

Cur enim continnos *tredecim annos* cohabitarunt, non tentato divortio; at nunc demum pacificam illam cohabitationem diſſolvere parant? Cogitent ubique matrimonium male iniri, ſi non cogat vel malum uſtionis,

vel deſiderium prolis. Eſt hæc Pauli διάταξις: *Vnuſquiſque ſicut vocatus eſt à Domino, ita ambulet.* 1 *Cor.* VII. *v.* 17.

Cogitent exemplum ſe ſequi ſanctiſſimorum conjugum, *Ioſephi* & B. Virginis *Mariæ*. Interim hæc non juxta ἐπιταγὴν κυρίου, *mandatum Domini*, quod hic nullum eſt; ſed juxta γνώμην, *fidelem ſententiam* & *conſilium*. Sic ſentio.

Steinfurti, fin. Februarii, M. DC. LXV.

J. H. HEIDEGGERUS. SS. Theol. D. & P.P.

IX.

Clariſſimo atque excellentiſſimo Viro, D. *Nicolao Hobokeno*, A. L. M. Phil. & Medic. Doctori & Prof. Collegæ ſuo plurimum honorando.

Clariſſime & amiciſſime Domine Collega,

MUlta occurrerent, quibus prolati hactenus reſponſi culpam deprecari poſſem, niſi plus in tua humanitate mihi eſſet fiduciæ, quam in argumentorum pondere. Unum tamen hic minime prætereundum videtur: *quæſtiones* ſcilicet à te propoſitas commodius à *Medicorum filiis* enodari poſſe, quibus caſus quotidiani horum arcanorum præbent experimenta; cum contra pauci è Philoſophorum vulgo, qui non ab his

his ſacris arceantur, nudæ utplurimum, & ſterili contemplationi intenti. Hi potiſſimum, qui corporibus ſecandis operam ſuam impendunt, hæc myſteria omnium facillime enunciaverint; quibus identidem copia fit, partes, quas Natura abſconditas voluit, inſpiciendi; & quæ circa eaſdem eveniunt, ſypmtomata obſervandi.

Ne tamen omnino deſiderares amici officium, committendum mihi non fuit, quin voluntati tuæ, qua liceret, morem generem; & in utraque Quæſtione, ſi non ad veritatem collimarem, ſaltem candide aperirem, quænam ſententia animo meo ſederet. Tu pro ea, qua mihi in hoc genere antecellis, rerum experientia, cætera ſupplebis, & ut excuſatius me erraſſe indices, præſtabis.

I. Ad Quæſtionis poſterioris prius membrum.

An ne Mulier poſt partum duarum prolium, ita poſsit manere arctata, ut non detur viro ingreſſus?

Ut autem ad PRIOREM *Quæſtionem* priore quoque loco reſpondeam, ita habe. *Non* ſcilicet *videri mihi dubium, evenire poſſe, ut poſt duplicem, imo & frequentiorem partum mulieris membrum ita arctetur, ut deinde membro virili ingreſſus non pateat; ſive jam illa arctatio contingat ex parte Nympharum, ſive ex*

oſſis pubis, ſive demum ex colli uteri parte.

Quidni enim ex accidente quodam, partium illarum ſecretorium extremæ oræ exulcerentur, & inflammentur? Adeoque exinde intumeſcant, ut, qui ante per hiantem meatum, citra difficultatem ſubibat, penis; nunc nullo conatu, aut impetu perfringere poſſit: protractuſque diutius, tumor callum labiis obducat, ut deinde quantumvis magna vi divelli nequeant. Aut cur non per longiorem exulcerationem extremitates illæ corrugatæ tandem adeo contrahi poſſent, ut meatus ille arctetur vehementius, quam ut peni poſſit eſſe pervius? Cur denique præter morem naturæ uſitatum, extremis illis finibus nequeat adnaſci tuber, vel ſubſtantia quæpiam alia, etiam carnoſa, grandior, aut durior, quam cui penetrandæ membri virilis, maxime non adeo rigidi, vires ſufficiant?

Et ſane, ſi in ipſa Formatione corporis fæminei, interventu quarundam cauſarum naturalium, partes genituræ muliebris ita adſtringi poſſunt, & arctari, ut nullo quantumvis robuſtiſſimo, pene reſerari poſſint: quis revocet in dubium, à ſimilium cauſarum præſentia, mulieri poſt plures etiam partus, eventum eundem accidere poſſe?

II. Ad

II. Ad membrum poſterius.

An ſi ſic eſſet arctata mulier, poſſit quidem impraegnari?

ALTERA vero *quaeſtio* majoribus mihi videtur implicata difficultatibus. Quod ſi enim (ut graviſſimorum virorum teſtimonia, rationes atque hiſtoriæ docent) virgo inviolato Naturæ clauſtro, ejuſdemque fundo nullo ſurculo exarato, ad concipiendum inepta judicatur; ***non videtur*** etiam ***fieri poſſe ut concipiat; aut impraegnetur illa, cujus vulvae tantae ſunt anguſtiae, ut virgam maſculinam admittere nequeat.***

Virgini enim, cujus clauſtrum (membrana ſcilicet uteri cervici imminens) manet illibatum, ideo tribuitur concipiendi impotentia; quia ad hujus actum requiritur omnimoda membrorum generationis applicatio, quæ ante effractionem ejuſmodi clauſtri obtineri nequit.

Unde eſt, quod ***penis*** etiam ***brevitati*** inter alias cauſas, ſterilitas referatur in acceptis. Contingit quippe tunc, ut ſemen, vel omnino ad fundum uteri pertingere nequeat, vel, antequam in eo recipiatur, reddatur inutile, atque ad generationem ineptum: ob ſpirituum puta prolificorum defectum, qui pro-

 pter

pter tenuitatem ac ſubtilitatem ſuam, illico evaneſcunt.

Atque idem evenire neceſſe eſt, cum pudendum muliebre eſt *arctatum.* Neque enim tunc omnimoda illa membrorum generationis muneri deſtinatorum, applicatio fieri; neque ſemen virile tamdiu ſpiritus illos, adeo ſubtiles intra ſe continere poteſt, quin hi exhalentur, antequam illud uterum ſubeat. Oportet ergo tunc ſterileſcat mulier, atque ad concipiendum inidonea efficiatur.

Quamquam autem hoc conformiter communiori opinioni, de Virginis & arctatæ mulieris ad concipiendum inhabilitate, ſtatui videatur: vereor tamen eidem, citra omnem hæſitationem, accedere, cum multi, etiam haud minimæ auctoritatis & eruditionis, viri ab ea diſcedant. Quorum auctoritate motus, *judico utrumque ſatis probabile eſſe;* & *Virginem illibatis Virginitatis carceribus, & mulierem jam olim gravidam, & aliquot prolium matrem, ex ſuperveniente quodam caſu, dicto modo arctatam ad concipiendam non penitus eſſe impotentem.*

Hoc quidem *poſterius*, ob aliquam rationis paritatem; *prius* vero ob teſtimonia virorum gravium, quos citat *Rejes*, 4. 41.

Avicennæ imprimis, cui (*ex Fen* 21. *lib.*3. *tract.* 4. *c.* 1.) hæc tribuit verba: *Et quando-*

doque

doque accidit, ut clauſa retineat conceptum, & fiat prægnans. Et hæc quidem non eſt poſſibile, niſi aliquo horum modorum: ut ſi ſit illud, quod opponitur matrici de clauſura raræ contexturæ; aut ſit habens foramina plura: ita ut poſſibile ſit, matricem attrahere de ſpermate aliquid. Licet enim imparum ſit, tamen ex illo parvo fit conceptio.

Peramati deinceps, quem (in *append.* 1. *de Conceptu, fol.* 98. §. 2.) ita loquentem introducit. *Poſſibile eſt, mulierem non devirginari, ſed conceptum fieri ex ſolo obſcænarum partium attactu, utroque ſemine effuſo ad os Uteri externum. Tunc enim ſæpe contingit, ex Uteri aviditate trahi intus ſemen in roris formam ad uteri cervicem non indat maſculus. Clauſa enim, quæ devirginari nequit, hac ratione concepiſſe viſa eſt, tantillo ſcilicet viri ſemine in roris, aut forte vaporis forman attracto, ut ex Avicenna patet.*

Cui adſtipulari ait *Mercurial. l.* 4. *de morbis mulierum, cap* 14. „ Tantam enim *Se-*„ *mini, Cicero*, 2. *de natur. Deor. p. mihi* 58 „ adſcribit efficaciam; ut, quanquam perex-„ iguum, in agrum tamen naturæ fæcundum „ incidens, eum paucula illa irrigatione lux-„ uriantem efficiat, novoſque pampinos pro-„ ducentem atque germinantem.

Eſſe quippe videtur *ſemen* de eorum genere, quæ in minima etiam, & vix oculis ſubjecta, quantitate amirandum præſtant effectum. Id quod non in hominibus modo, ſed cæteris etiam animantium ac ſtirpium ſpeciebus: quarum ſemina exiquæ licet, & vix

conſpicuæ molis; ſuæ tamen ſpeciei germen ac figuram promunt, omnibus qualitatibus indutam, & ad proceritatem uſque ſuam luxuriantem.

Exemplis hoc ipſum *ibidem* confirmat, prædictus *Rejes*. Equibus illud non parum ad rem noſtram adfert momenti, quod ex *Hildano*, *cent*, 3. *obſervat*. 60. (qui id *Ludovico Huberto* debet) refertur de *Aurifabro Pariſienſi*. „Qui cum puellam honeſtam „duxiſſet, ſibique in congreſſu cum illa li„berum aditum invenire non potuiſſet; ipſa „interim de dolore conquerente, quod ma„ritum ferre, non niſi difficulter poſſet: poſt „menſes aliquot de *Divortio* cogitare cæpe„rat vir, eo jam tempore, quo de *gravidi*„*tate* ſuſpicio uxori erat. Sed, ne aliquid „temere tentaret; utriuſque parentibus con„vocatis, illis totum negotium aperuit. Vo„cantur ex conſulto Medici, adſunt Chi„rurgi: quorum conſilio jubetur, ut mulie„bria inſpiciantur. Invenitur *membrana dura*, „matricis collo interpoſita: quæ, quo mi„nus penis intraret, obſtabat, & Phallo, „licet impetu conanti, reſiſtebat. Unde „*Dolor*, dum maritus inibat. Data opera pe„ragitur Hyſterotomia. Per Chyrurgum „membrana inciditur: &, ut decebat, de „cætero curatio perficitur. Exinde & hæc

„virum

„ virum ferre, & ille ad libitum fæminam, „ inire potuit, & voti compos fieri. Sed ab „ inciſione tranſierunt vix menſes ſex, ecce „ ovans puellus perfectus & maturus in lu- „ cem prodit.

„ Quod ſi ergo, inquit *Rejes*, calloſga & „ dura *Membrana* interpoſita (quæ vehe- „ menti conatu reſiſtebat, quo minus penis „ inderetur,) obſtare non potuit, quin Se- „ men, aut aliqua illius portio aſcenderet, „ aut à vehementi uteri tractione exſucta, ad „ illius corpus tranſiret, ut indec onceptus „ fieret: facilius hoc in aliis contingere po- „ terit; in quibus prædictum membranæ ob- „ ſtaculum non invenitur. Ut ſi præ foribus „ ad valvulas Cunni Semen projiciatur, illud „ valida attractione matrix exugere & ab- „ ſorbere poſſit; & per medios parietes pel- „ licere, ut ſe tota proluat, & eo fruatur, „ cujus irrigatione perpetuo flagrat. Cum „ ardenter illud expetat, & ad ejus compre- „ henſionem vehementer mota, inferius fe- „ ratur, ob ſymbolicum & innatum illum „ conſenſum. Cujus ratione Uterus, dum ſe- men virile perſentit (præſretim cum mulier æſtuanti libidine, & coitus deſiderio arden- tiſſimo prurit) deſcendit ſtatim, & quaſi manibus utens, ut dicebat veſter *Galenus*, ad ſe arripit, retinetque, ut illo & deſiderio ſuo frua-

fruatur, cujus conſortium indeſinentur affe-
ctat. Ob quam cauſam coëuntes experiuntur aliquando in coitus fine, *uterum inferius ſe totum convelli*, & in cucurbitulæ modum vi quadam virilem hominis partem vehementer ad ſe attrahere, & veluti ſuctu quodam ſemen maris prolectare. Ut proinde *animal procreationis appetens*, illum appellaverit *Plato* & *Arethæus*. Uti *l. de ſemine*, *c*. 2. *&* 3. late docet idem *Galenus*: ubi de *Vteri conatu*, & *vergentia ad ſemen exſuccandum*, multa proponit

De *facultate* ergo validiſſima *Vteri ad ſeminis virilis materiam attrahendam*, vix eſt ut dubitari poſſit. De ipſius uteri ad illud *aviditate*, propter quam eadem facultate donatus eſt, multo minus ambigendum.

Si enim *Ventriculum* tanta ciborum appetentia procreavit Natura, ut individuo proſpiceret homini: quanto majorem *Vtero*, ad ſemen eliciendum debuit implantare? quo magis totius ſpeciei, quam individui neceſſaria eſt productio & conſervatio?

Itaque ad ſemen maris, tanquam ad proprium objectum Uterus fertur, ut mirum non ſit, quod licet penis non prorſus indi poſſit, ſed ad vulvæ orificium tantum ejiciat, ille tamen ſemen attrahat, & in ſui ipſius capacitatem deducat, ubi facultas generatrix

ad

ad fætus formationem totis viribus incumbat.

Si enim noxios humores per occultas nobis vias natura, ut ab iis, quæ præternaturaliter ipſam offendunt, ſe exoneret, aliquando expellere novit; & quandoque pus per media oſſa profert: uti 7. *Aphor.* 54. *Galenus* docuit. Imo ipſa fætus in utero oſſa & carnes per os prægnantis ejecta fuiſſe, obſervatum eſt in uxore cujuſdam ſervi *Flarchionis de Mondexar*, ut rariſſimo & admirando caſu, ex *Bernardino Montanna* affert *Fontecha, Lumin.* 2. *c.* 7. Cum tamen via nulla pateat, per quam oſſa à matrice exire, atque ad inteſtina & ventriculum ferri, aut pervadere poſſent.

Quæ ſi proinde vera ſunt, quid obſtat, quo minus Uterus totus, clauſarum licet & arctatarum fœminarum (quas ἀτρήτας dicimus) connivens, & ad ſemen, ſicuti terra ad aquam hians, per anguſtiſſimos etiam atque arctiſſimos meatus materiam illam, ſibi adeo amicam & familiarem, quam citiſſime (antequam ſpiritus illi prolifici ex ipſa emigrent) deportet; cum eandem ad furorem uſque appetat, & nonniſi potita quieſcat.

Hanc igitur ab cauſam, quamvis ob ſupradictas rationes contrariam fere ſemper prætulerim ſententiam: exiſtimem nunc, non

omnino

omnino improbabile videri: *mulierem, quantumvis poſt varium partum ex accidente aliquo arctatam, dummodo vel minima rima ſuperſit, per quam ſemen maris ſubeat, etiamſi penis ultra vulvæ orificium non ingrediatur, impregnari & concipere poſſe.* Si maxime veræ ſint illæ hiſtoriæ, quarum tres *Riolanus* filius, *lib. 2. Anthropograph. c.* 31. adfert, de fæminis clauſis, ſimili modo imprægnatis.

Tibi, *clariſſime Collega*, integrum erit, ſi quid in hiſce diſtortum videatur, emendare; & utri libuerit, opinioni ſubſcribere. Meumerit erudiri, & quo rationes potiores duxerint, ferri. Valere te de reliquo, cum lectiſſima coſta jubeo: utque tarditatem ſcriptionis excuſes, etiam atque etiam peto.

Dabam Steinfurti menſ. Martio, M, DC, LXV.

Tui ſtudioſſimus Collega

G. SPINÆUS.

X.

CL. D. *Nicolao Hoboken*, Med. D. & Profeſſ.

Steinfurtum.

Clariſſime amice,

OB impedimenta migrationis, gratiſſimis tuis reſpondendi non datur copia: ſed hiſce gratificantem animum teſtor, latius

tius tecum acturus. Quæ mihi mandata ſunt, recte curavi, mutuam referens amicorum ſalutationem. Congratulor Matrimonium CL. V. quodque F. F. Q. ſit, animitus precor, manens

Amſtelædami 27.
April. ſt. l.
M, DC, LXV.

Claritudinis veſtræ

Amiciſſimus cliens,

JOH. BAPT. à LAMZWEERDE.

XI.

CL. V. D. *Joh. Bapt. à Lamzweerde*, Phil. & Med. D. ac practico Amſtelædamenſi, amico ſuo ſingulari.

P. S.

Experientiſſimo & Doctiſſime Domine,

HActenus promiſſas tuas reſponſorias non dixerim, quam avide expectem. Ut & promiſſum hactenus de *Coloribus* exemplum; uti & quicquid præterea noviſſime lucem videre, noſtram artem nobiliſſimam concernens, noviſti.

Interea ego, promiſſis congruenter ea peragere pergo, quæ ad ejuſdem ſortis perfectionem facere animadverto, alia atque alia.

alia. Exercitationem meam bipertitam *de ſide mentis humanæ in corpore humano*, jam abſolutam *Daventriæ* prælo commiſi. Quæ ad ejuſdem confirmationem tendunt, per anatomicos ſchematiſmos, ac picturas accuratas demonſtrare allaboro. Et juxta optimorum hodie Medicorum exemplum, quæ ad *generationis hominis* rectam cognitionem faciunt (præterquam quod, pro inſtituti ratione jam modo illam exhibuerim) inveſtigare atque eruere latius conor.

Verum hoc continuo mihi obeſt obſtaculum: quod (primo) conſiderato aliquo familiari, Coadjutore perpetuo, deſtituar. Dein, quod per varia avocamenta Profeſſionis & praxios vix diem integrum vacare, operamque juſte navare queam. Et, quod maximum eſt, ſubjectorum humanorum optatorum magna datur penuria. Et poſtremo mirum hic hominum genus: uti ſordidum, ſic præjudiciis occupatiſſimum. Superſtitionem experior maximam.

In cæteris, *artem Anatomicam* odio tanto proſequuntur; ut excoriatorum abjectiſſimæ operæ accenſere eandem videantur. Imo ſi quando vel tentem Cadaveris pauperculi alicujus, nedum lautioris ſortis, ſectionem: reſpondet ſuperſtes. Quid? neutiquam ego hoc permitto. Satis miſeriarum ac crucia-

tuum perpeſſus eſt miſer: requieſcat in pace!

Uti non ita pridem [a] expertus hac in urbe ſum: dum vel generoſi atque illuſtris D. Comitis, Domini mei Clementiſſimi, mandato, ad *ancillæ* [b] cujuſdam civis, *Cottichii* cognominati (quam veneficiis interemptam,) nonnulli imperite è vulgo volebant, cum noniſi *Pleuritide* interiiſſet, & interiiſſe demonſtrarem,) anatomiam me accingerem. Quantæ ciebantur turbæ! precibus matris, aliarumque mulier cularum ineptarum, occurrit præſidii prætextu hic degens, monaſterienſis miles, armata manu mandato generoſi mei refragans. ,, Quia militis, ſub ,, noſtro principe (Epiſcopo puta Monaſte-,, rienſi) merentis, filia eſt, clamant multi, ,, nolumus attingi, nedum aperiri.

Ut omnis meus, & Chirurgi (cujus manu auxiliari utebar) videretur irritus, ni vi militem eum DD. Deputati mecum, coërcuiſſent. Cujus caſus etiam meminit ſatis D. Doctor *Heckhuſius*, tunc noſtri Gymnaſii civis, & chariſſimus mihi Diſcipulus.

Obſervavi autem tunc (ut hoc obiter annotem,) & demonſtravi, ſi unquam, clariſſime, quanta ſit *Pleuritidis* atrocitas. Ad *Tho-*

a Die ſcilicet XIX. April anni hujus ſeculi LXIV.

b Nomen erat Elsjen Stroumans.

racis, inquam, apertionem; poſtquam in ambitu corporis, uti & in Abdomine nihil præter-naturale, ſaltem affectum nullum ſpecialem obſervaſſem: deprehendi Pleuritidis in *Peripneumoniam*, tandem *Empyemate* terminatam, proceſſum. Vidi & oſtendi membranam pleuram adhuc partim accenſam, partim conſumptam: uti Pulmonum quoque vidi ſuperiorem & maximam partem, à collecta copioſa materia quadam, admodum fermenteſcente, atque acerrima (ſapoſo & ſpumam agenti liquori conſimillima,) adeo corruptam, ut & Pericardium exeſum atque abſumptum appareret. Imo ipſa acris illa materia, cum liquore Pericardio includi ſolito, mixta, membranam Cordis exteriorem ita affeciſſe conſpiciebatur, ut corrugata exederetur; totumque adeo Cor velut cremore, ſeu tenuiore coagulo Lactis circumductum deprehenderetur. Cordiſque Ventriculis adapertis, ſanguinem Febris æſtu aduſtum, atque nigricantem; qualem ex ipſo Morbi modo, more ac curſu, potiſſimum ex Venæſectione, bis terve inſtituta, inante judicaram, comperi. Decubuit autem jammodo tridum, antequam vocarer; & præter propter novem dies, antequam è vivis miſella diſcederet.

Imo tyrannidis inſimulant non pauci eandem

dem noſtram Anatomicam. Et, ſi perſuadere rationibus coner, irritantur: ſcilicet præoccupatus illorum animus, non ulterius pertingit, quam ſtupida permittit, præjudiciorum mater & fautrix, Ignorantia.

Quinimo, ſi vel Brutorum aliquod ſubjectum aperiendum ſumam, neminem plebejorum eo perducere poſſum, quo auxilium quoppiam conferat. Næ! inquit, ego æqualibus meis fabula forem & opprobrium.

Ut quicquid hic agam, unice agere valeum, Chirurgi, & ſtudioſi unius alteriuſque ſpontanea opera atque auxilio. Et furtim quaſi: apud hos pretio, apud illos beneficii pollicitationibus, quæ obvia inquirere ſoleo.

Quemadmodum in ruſtici cujuſdam ſuburbani ſilia, Hydropis ſpecie, *Aſcite* miſere exſtincta (etiam præſente, cum aliis, laudato D. *Heckkuſio*) nonniſi promiſſionibus intercedentibus potui Anatomicam inſtituere morbi inveſtigationem.

Alioquin, ſi mihi exoptata daretur occaſio, optata ſuppeterent adminicula; ſi pro lubitu ſecandi, diſſecandi, perſcrutandi obtineret licentia; nullus dubito, quin multa indies peragerem feliciter, quorum peractio nunc lento, & ſæpe interrupto gradu procedat neceſſe eſt.

Uti abhinc menſem, aut alterum, *gemellos primogenitos* geſtantis (*utpote pariendi impotentia* mortuæ.) Dominæ cadaver Cupidiſſime aperuiſſem, ſi bona data fuiſſet venia. Sed irrito auſu, rogavi fruſtra. Item (*Vermium inteſtinorum*, & febris acutæ cruciatu occumbentis) puellæ XIII. ni fallor annorum, Anatomen inſtanter ambivi. Sed itidem fruſtra.

Ante paucos autem dies *Secundinæ*, recens inlucem editæ, *humanæ* inveſtigationem inſtitui; tanto attentius, quanto magis exiſtimarem inde quicquam me lucrari poſſe, quod faveret clariori memoratæ Cenerationis cognitioni. Quænam autem annotarim, reſcire licebit ex meis ad ampliſſ. & prudentiſſ. D. *Nic. Tulpium*, laudatiſſimæ noſtræ artis celebrem adeo cultorem, ac Patronum. Et ſerio invigilabo, num quid ulterius poſſim.

Sed rogabis, credo, quidnam de ea, quæ *Theocdro Aldes* cum *Iohanne Abangelis* intercedit, controverſia Judicem? Legi, inquam, & relegi cogitationes utriuſque, & rationes expendi. Quidnam autem ad rem dixerim, patebit ex poſt, meliore data occaſione, à me tradendis. *Modus* autem ille, *ficto nomine agendi* non videtur approbandus, niſi illi, qui multo labore tecte agere ea cupit, quæ alioquin aperte ageret levi opera, & ſtudio.

Nam

Nam tum ad *rem* tractandam, tum ad *modum* ac *circumſtantias fictitias* pariter animus vertendus venit. Et, ſi quando ſemel tentaverit quis eam ingredi viam, admodum circumſpecte cuncta indeſinenter tradat, explicet, circumſcribat, probet, neceſſe eſt. Juxta vetus illud veriverbium: *oportet mendacem eſſe memorem*. Ut, inquam, longe major cura adhibenda veniat rei fictitiæ, quam veræ. Ingenua quippe veritas, aut genuinæ Rectitudinis ratio, ſimplici contenta veſte, ridet omnem fictitium apparatum. Se ſuaque efficacia tantum nititur, ut nullo velo, nulla defenſione apud ſui amantes indigere ſe probet.

Et, ut verbo abſoluam; hoc unum parit fucus, & larvata hæc concertatio, ut anſam, præbeat in ſeria re, ſi non ineptiendi, ſaltem indigna divulgandi: uti aliorum infauſta exempla nos indies monere experimur. Et apud quemcunque pravitatis cauſæ, utpote lucifugæ, præjudicum meretur.

Quinimo, poſt omnem conflictum, & prolixum altercandi laborem, tandem aliquando cunctis innoteſcit, quod ante clam dictum, obſervatum & diductum adeo ſolicite volumus. Et larva denique detracta, malæ cauſæ autores pœnas dant ſuæ imprudentiæ graves.

 Quare

Quare ego ſaltem huic uni laboro, ut eam ſuſcipiam, foveamque ſententiam, quam palam eloqui, ac ſereno vultu defendere auſim; tam diſcere certe, quam docere, quouſque

——— *Spiritus hos reget artus*,

paratus. Juxta formulam mihi familiarem: RECTE, LIBERE, ET CANSTANTER.

Et hoc etiam non poſſum non uno notare verbo: quod illa *Nic. Stenonis*, à Joh. Abangelis in Theod. Aldes Epiſtola (*pag.* 8. & 9.) obſervata, laudatio mihi quoque valde affectata videatur.

Non equidem invideo, ———

nec laudem juveni docto & induſtrio denegandam cenſeo: ſed anne Anatomicorum *Coryphæus* ſit, alii mecum judicent, queis perſonarum nullus habetur locus, & *Coryphæi* epitheton norunt. Et, ſi tam propero curſu eo exiſtimationis & pretii, quo *Fabricius* olim, apud *Italos* pervenerit, ego ſanequam gratulor ſummæ ejus felicitati. Scilicet

Non cuivis homini contingit adire Corinthum.

Hiſce tu interim vale, *experimentiſſime Domine*: & tuam lectiſſimam, meæ individuæ quæ mihi jam octiduum alteram peperit filiam,

filiam, & meomet nomine optato ſaluta. Uti & CL. VV. D. *Blaſium*, D. *de Bye*, & D. *Heckhuſium*. Dabam raptim Steinfurti, in muſejo meo, XVI. *Octobris*, ſt. v. M, DC, LXVII.

Tuus.

N. HOBOKENUS.

XII.

CL. V. D. *Nicolao Hobokeno*, Phil. & Med. D. & Prof,

Steinfurtum.

Clariſſime amice,

VAria praxios, & curarum domeſticarum impedimenta replicationem meam ad Reſponſionem D. V. ſuper *Quæſtiones*, à me motas, huc uſque retinuerunt. Tandem, ne antiquatæ amicitiæ uſum tollere videar, breviter reſponſurus prodeo ad argumenta, quæ in epiſtola veſtra, fuſe docteque proponendo, candide ſinceram D. V. mentem explicas. Sed nullum reperio argumentum, quod priorem meam opinionem convincat. Ut hoc clarius aperiam, ſingula breviter perſtringam.

1. Primo dicis: hæc *tria*, ut pote *Honeſtatem*, *Utilitatem*, & *Delectabilitatem*, in caſu

noſtro reperiri. Quæ juxta te matrimonium *indiſſolubile* reddunt. Verum notandum, quod illa *idoneum* præſupponant *ſubjectum*, Et quod contractus ipſo jure nullus ſit, ubi pars altera eſt *incapax* : ut hic. Quippe quæſtio eſt de *Impotentia præexiſtente*, non autem *ſubſequente matrimonium*.

Deinde *Honeſtatem* collocas duntaxat in *obſervatione rituum*. Sed ut matrimonium dicatur *honeſtum*, non ſufficit, quod ſit honeſte *initum*, ſed ut ſit honeſte *conſummatum*, & *conſervatum*.

Deinceps & ſolennia, legitimum Matrimonium præcedentia, etiam ſupponunt *habile ſubjectum*, naturali potentia præditum. Ubicunque illa deeſt ante matrimonium initum, à quacunque tandem cauſa, eſt *ſufficiens cauſa matrimonium impediendi* ; *&*, *ſi ſit contractum, dirimendi*. Nam ceſſante fine, ceſſant media. Quoniam *finis*, ob quem corporalis maris cum fæmina converſatio, Jure divino & civili permittitur, eſt vel *prolis Generatio*, vel *remedium Incontinentiæ*.

Uterque hic finis *Impotentia* tollitur : ut recte notat Collega veſter. Nam illa præſente, omnis corporis contactus eſt peccaminoſus & illicitus : & ſub *Fornicationis* actu comprehenditur.

Sic ut illa *Delectabilitas*, quæ in hoc caſu, per

per corporis contactum percipitur, ſit illicita, & Deo ingrata.

Alia eſt ratio in *Senioribus*, qui matrimonium contrahunt. Quia illis adeſt *ſeminis emiſſio*: & conſequenter, *vera conſummatio, unaque caro.* Sic ut illa copula ſit remedium Incontinentiæ.

Nec obſtat dictum Servatoris apud *Matthæum*: quia tales non ſunt *vere conjuncti*, ſed tantum *apparenter.* Idcirco non eſt *matrimonium* dicendum, ſed *cohabitatio.* Quæ ipſi, ob evitandum ſcandalum concedi poteſt; ſicut fratris cum ſorore.

Multo minus obſtat decretum *Senatus Amſtelædamenſium*; quia illud eſt tantum *negativum.* Ut præcaveat errores, qui ſub tali prætextu poſſent committi. Quod inde liquet, quod *Impotentiam ante elapſum* LXXVIII. *annorum ſpatium*, *pro ſufficiente cauſa dirimendi*, agnoſcat.

II. Senſum *alterius* Quæſtionis non videris intellexiſſe. Non enim quæritur *Coarctatio* à *cauſa* præter-naturali, ſed duntaxat *naturali.*

Scilicet: *An clauſtrum Uteri partu jam bis relaxatum, per naturalem partium ſubſidentiam & collapſum, ita arctari poſſit, ut membrum virile non admittat?* Quod mihi valde dubium eſt.

Tractatum de *Coloribus* Bibliopola diſcipulo tuo tradet. Adjunxi cupitam obſervationem de *Cometa anni hujus ſeculi* LXIV. Quando ejus copiam tibi feceris, remittito. Reſponſionem reliquorum non potui ob temporis brevitatem remittere. D. *de Bye* convaluit. Hiſce vale, & nobiſcum de *Pace* cum *Anglo* facta gaudeto. Siquid novi ex partibus veſtris de *Gallo* ſit, data occaſione communicato, qui hic valde timetur. Vale iterum, & ama

Amſtelædami, die 23. September 1667.

Tuum obſequioſum

JOH. BAPT. à LAMZWEERDE,

XIII.

CL. V. D. *Joh. Bapt. à Lamſweerde*, L. A. M. Med. Doct. & Practico apud Amſtelodamenſes eximio, amico ſuo ſingulari,

S. P.

Clariſſime & experimentiſſime Domine,

Reſponſorias tuas, XXIII. *Septembr.* anni præterlapſi, ad me datas recte reddidit tabellarius. Quas avide aperui: &, cum ad Quæſtiones tuas à me jamdudum diſcuſſas, reſpondere te viderem, etiam atque etiam attenta mente legi. Humanitatem quidem

dem tuam utcunque obſervavi, atque officium. Diſplicuit autem tuum de meis judicium, quatenus me tum *nullum argumentum, quod priorem tuam* (puta priorem circa quæſtionem) *opinionem convincat, dediſſe* aſſeris. Tum *ſenſum poſterioris quæſtionis non intelligiſſe videri.*

Certe, *amiciſſime Domine*, dum quæ in meis XXVIII. *Martii*, anni hujus ſeculi LXV. ad te datis, prolixe ſcripſi, relego: non video, quo jure vel alterutrum mihi oggeratur.

Primo ſaltem tuæ *prioris opinionis* me omnino ignarum tunc fuiſſe oportuit; quia in tuis, quæ Quæſtionum illud par complectitur, *tuæ opinionis* nullum præbes veſtigium. Simpliciter enim Quæſtiones, prout tibi obviam factæ fuerant, mihi proponis diſcutiendas. Dein, ſi tuam illam noviſſem opinionem, ejuſque ſenſum, quem nunc quidem percipio: laboris mihi compendium notabile factum fuiſſet.

Et adhuc ſentio, quod quiſquis argumenta à me prolata recte obſervat, & perpendit; à *Ratione* aut *Iure* alienum nihil ſtatuere me, fatebitur. Et quod bene *ſenſum poſterioris* quoque *quæſtionis intelligam*, miror ſi non conſtet ex meis ad eandem ſcriptis.

Ut autem pauca ad tuam reponam replicationem

tionem (multa enim nec poſſum nunc, nec neceſſe eſt prioribus adjicere), noſtri commercii jura volunt. Et

Ad Priorem *Quæſtionem.*

Quod facit: noſti à me ante omnia (*§.2. memorat. meæ epiſt.*) propoſitum eſſe, qui tibi obvius factus, *Quæſtionis ſtatum.*

Deinceps (§. 3, 4, &c.) ſubjunctam *variam acceptionem* & *ſignificationem* Impotentiæ Seminandi.

Et tandem (§. 10, 11, 12, &c.), juxta *Senſuum* diverſitatem ordinatim & diſtincte *reſpondiſſe. Objectiones* quoque ſuo quovis loco *moviſſe & refutaſſe.*

Ut in eo omnis rei cardo vertatur, quod *vel* omnem phraſiologiæ, in quæſtione propoſita obſervatæ, ſenſum & acceptionem non exprimam: *vel*, ſi eum omnem exprimo, quod ad ſenſum alium atque alium recte non reſpondeam, & Objectionibus non ſatisfaciam.

Ad acceptionis autem, & *ſenſus numerum triplicem* annotavi.

Ut per Impotentiam Seminandi liceat intelligere, vel *Frigiditatem*, ſeu frigidam intemperiem, &c. §. 6.

Vel *partium genitalium* notabilem *gravem conformationem* &c. §. 7.

Vel vitium hoc *utrumque ibid.* §. 8.

Quar-

Quartum vero non potui adjungere; puta *omnino pravam partium genitalium conformationem*. Quia neque ex terminorum, *Impotentiæ Seminandi*, vi id liquere videbatur. Neque ex eo, quod jam *tredecim annorum* amica ſupponatur *converſatio*.

Et Termini certe *Impotentia Seminandi*, non poſſunt tam late extendi, ut *Coitionis omnem præcluſum*, ac *negatum actum* ſignificent.

Et *Impotentia* certe, quamvis magnam habeat ſignificationis latitudinem: nunquam tamen cum *Privatione* à Philoſophis confunditur.

Definitur enim: quod ſit *potentia diminuta*. Ut, ſi quis *odtuſo ſit ingenio*, *labili memoria*. Si vero Ingenium & Memoria tollantur, & *deſint*; *privationis*.

Et *ſeminandi* impotentia, etiam cum *Coitionis privatione* non poteſt confundi. Cum conſequentia recte quidem procedat: ubi negatur *omnis coitio*, ibi (à parte Maris ſaltem) negatur *ſeminandi potentia*. Vice verſa, minus.

Seminatio enim, ex genuino ſuo ſignificatu, notat: *ipſiſſimam, Coitionem maris & fœminæ, congreſſionemque abſolventem, præparati & apparati ſeminis, ex vaſis deferentibus verſus uterum factam, excretionem*, Uti videbis *Cognit. meæ Med. Phyſiolog. part. IV. art. 3. capitul. 2. part. 1. num. 6.*

Ut

Ut hæc *præſupponat Coitionem*, tanquam *Conditionem, ſine qua non:* licet forte eatenus imperfectam, quatenus *ipſum ſemen verſus uterum debite excerni minus poteſt.* Sicut in præſente caſu ſupponitur.

His itaque ſic ſe habentibus, poſtremum à me notatum ſenſum de *utriuſque vitii* (tum Intemperiei, tum pravæ Conformationis) *concurrentia*, utpote rariſſime contingente, removi, §. 9.

De *alterutro* autem priorum, ſingulatim ſumptorum, ita ſolicitus fui, ut fuſe *probaverim*; & meam ab *Objectionibus & inſtantiis* quam potui, *vindicaverim* ſententiam: *epiſt. memor. meæ* §. 10, 11, 12, 13, 14, 15, *& ſeqq. multis.*

Incertus enim (1.) an ne *prior*, àn vero *poſterior ſenſus*, aut acceptio tibi aſſumeretur?

Item (2.) an ne à parte *maris*, an *fœminæ*; à parte *mariti* an vero *uxoris* obtinentem, intelligeres *ſeminandi impotentiam?*

Quamvis enim animadverterem, quod ex Seminationis genuina natura Maris *impotentia* potiſſimum intelligenda veniret: ambigebam tamen, dum *in poſteriore* quæſtione moveri videbam *Coarctationem Mulieris*, an ne poſſibilis, &c. Et an ea poſita impregnari poſſit? Dumque perſentiſcerem, diverſum eſſe caſum: ex eo quod de muliere, *duplicis prolis matre* quæſtio fieret. Et

Et nunc etiam nonniſi conjicere licet, quidnam præciſe intelligas. Suboleo quidem, tum per Impotentiam ſeminandi tibi intelligi, *pravam* adeo partium genitalium *conformationem*, ut *coitionis* ſequatur *impoſſibilitas*: dum aſſeris, quod hoc in caſu altera contrahentium pars ſit *incapax*. Et *viri* imprimis, dum poſtea, caſu matrimonii à *ſenioribus* contracti, ais: quod illis adſit *ſemionis emiſſio*, ſeu, uti interpretor, *ejaculatio*. Hæc enim (ſi loqui lubet proprie) nonniſi à viro, & membro virili mediante, fieri ſolet.

Quicquid ſit, ne verba captare velle videar: ponamus per *Impotentiam ſeminandi*, adeo pravam indigitari conformationem, ut *Coitionis negetur exercitium.*

Anne autem *præexiſtat*, an vero matrimonio *ſuperveniat*, non eſt quod ſolicite caveam; cum initio ſatis caute te căſum propoſuiſſe ſciam: anne *Impotentia ſeminandi à primo inſtanti matrimonii*, ſit cauſa &c. Et eidam ſic poſito reſponderim.

Alioquin, ſi de impotentia, aut impoſſibilitare ſeminandi, aut coëundi, inito *matrimonio ſuperveniente* quæſtio foret: omnino *negarem, juſtam dirimendi matrimonii, licet ad exiguum tempus initi, cauſam eſſe.*

Quale quidem incommodum accidiſſe memini, cuidam navi bellicæ apud Hollandos

dos præfecto: quippe qui bello anglicano, proxime compoſitum antecedente, per exploſi tormentarii globi vim Teſtes ac Penem ommino perdiderat.

Quod tamen, utpote per ſuper accidentem illam belli injuriam illatum, nullam rationem dabat divortii tentandi. Videſis ad ſimilem caſum reſpondentem, *Ioach. à Beuſt in Planitz, ICtum. tract. de jure Connub. & dotium*, &c. *num.* XIV. *p.* 55. *b.* & 56. *a.*

His inquam ſic poſitis, ordinatim adhuc reſpondeo. I. Si per *Impotentiam ſeminandi* intelligatur primo notata *Intemperies*: manet ſalva mea ſententia (§. 10. & ſeqq.) propoſita, probata ac confirmata.

II. Si vero intelligatur *notabilis prava conformatio*, qua ſeminationis exercitium juſto & optato minus procedit: etiam aliter reſpondere non poſſum, quam reſpondi §. 53. *& ſeqq.*

III. Denique, ſi tanta intelligatur Conformationis pravitas, ut *Coitionis exercitium præcludatur & negetur.*

Uti, quando à parte maris deficit *Penis*, aut à parte fœminæ, *Vteri vagina inſanabiliter clauditur.*

Reſpondeo etiam, quod *magna* & *juſta ſit ratio matrimonii præcavendi*, & *jam initi forte Matrimonii dirimendi ac diſſolvendi.*

Eaſdem-

Eas demque allego *Rationes*, quas Collega tunc meus, CL. D. *Heideggerus*, *in theſi* allegat.

Tunc enim *Finis* Matrimonii *principalis* adeo tollitur, ut vel *ſecundarii* finis ratio ac momentum eapropter evaneſcat. *Vna* enim *Caro* eſſe, proprie & ſtricte loquendo, nequit; quotieſcunque & ubicunque *Coitionis præcluditur*, *aut negatur exercitium*.

Adeoque, quæ annotas de *tribus* illis, à me aſſertis (utpote Matrimonio communiter includi ſolitis;) *Honeſtate* inquam, *utilitate* & *Delectabilitate*: ea referenda manent ad *priorem*, à me (*quæſt.* 1 §. 10.) obſervatum *ſenſum*. Si puta tantum obtineat alterutrius, aut utriuſque *Intemperies* vel *Frigiditas*.

Minus ad, *Secundum* (§. 49 *ibid.* notatum,) ubi *notabilis aliqua* obtinet *prava* partium genitalium *Conformatio*. Omnium vero minime ad eum caſum, quo Coitionis negatur exercitium, à te intellectum, & nunc aſſumptum.

Sicque videbis me *Honeſtatem* non duntaxat in *obſervatione* nuda *rituum* quorundam, in facie civitatis, aut eccleſiæ obſervandorum *collocare*. Quippe qui ſatis novi, quod *Honeſtum* communiter habeatur *quicquid Iuri & moribus bonis congruenter ſe habet*. Ita certe, ut quicquid licet, honeſtum non ſit: ex mente

l. 144. D. *de R. I.* Videſis *Chriſt. Sturcium, comment. in Reg. Iur. pag.* 622, 623. & *Phil. Matthæi comment. in Reg. Iur. l. cit. p.* 591. *& ſeqq.*

Quandoquidem autem in caſu propoſito, non Præſumitur tale vitium, propter converſationem tam diutinam, *tredecim annorum*, nuptias (rite & ſolenniter ſaltem initas, ſi non vere conſummatas) inſequentem.

Et, quoniam in dubiis matrimonialibus ſemper præſumi debere *in favorem Matrimonii*, volunt JCtorum. ſaniores: utique eatenus eſt, quod quætivi (§. 57.): *anne* JUSTA *&* SUFFICIENS *cauſa ſit, dirimendi Matrimonii, non ſolum rite & ſolenniter initi; ſed tot annorum cohabitatione ac converſatione confirmati?*

Et reſpondi, ex *hypothæſi* §. 58, 59. *& ſeqq.* Confer imprimis, quæ, §. 69, 70, 71. 72, 73. *& ſeqq.* Scripſi.

Et animadvertes I. præter finem Matrimonii primarium, ac *principalem*, eſſe agnoſcendum ſecundarium, ac *minus principalem.*

II. Eſſe accurate diſtinguendam inter cauſam Matrimonii dirimendi *triſtem* & *turpem.*

III. Rationem *Temporis* ita conſiderandam; ut, ſi tempora diſtinxeris, mecum judicaveris, quæ judico §. 65. collatione facta

facta cum iis, quæ §. 36, 37. *& ſeq.* diduco ac probo.

IV. Magnam eſſe differentiam, ac diſcriminandi rationem, inter tale *Matrimonium*, & *Cohabitationem, ſimplicemque converſationem.* Uti *fratris* (quemadmodum allegas) *cum ſorore.*

V. Et quod ad eum conjugatorum in præſens animum, quo *utraque perſona contenta* dicitur, *actu divortii*: eum ſcandalo adeo obnoxium eſſe, ut propriam turpitudinem fateri velle, apud plurimos dicantur.

Ut, inquam, cum laudato meo D. Collega, *ex hypotheſi* dilucidata, concludam: vel tam gravi vitio obtinente, ut fere ſexus diſcrimen tollatur, ſaltem coitionis deſideratum exercitium negetur; quod, uti (in *theſi*) *juſta* foret ac *ſufficiens cauſa* Matrimonii impediendi, & jamjam initi *illico dirimendi*: ita nunc *tanto minus juſta* videatur eſſe cauſa, *quanto majus* eſt *temporis intervallum elapſum,* quo pacifice converſati eſſe ſupponuntur.

Non enim juvare regula illa videtur: *quod ab initio vitioſum eſt tractu temporis non poteſt convaleſcere. l.* 29 *D. de R. I.* Cum ei multum derogetur per *Matrimonii favorem,* apud Judicem (juxta ſuperius quoque notata) obtinentem, propter *temporis intervallum.*

Nec aliter ego ſentio; quam quod contractus ipſo jure nullus ſit, ubicunque ex juris præſcripto requiſitæ contractus conditiones deficiunt. Habita ratione diſtinctionis, ſuperius inculcatæ: inter *principalia* & *minus principalia*, inter *primaria* & *ſecundaria*.

Sed *rapienda eſt occaſio, quæ præbet benignius reſponſum*, uti habet *l.* 168. *D.R.I.* Ut ſi *immediate* poſt nuptialia ſolemnia conqueratur alterutra contrahentium pars de tam gravi defectu; locus obtineat pænitentiæ, & diremptionis. Uti demonſtrant varia variorum exempla.

Anne vero ſine honoris, & bonæ famæ detrimento, aut ſcandalo ea diremptio fieri queat; quæritur ulterius. Docet id exemplum, ſi quod aliud *Alphonſi, Regis Portugalliæ,* ab imperio in præſentia remoti, & thoro conjugali. Et quiſquis ſapit, omnibus eo pacto ridiculam fieri fabulam fatebitur.

Ut liceat, inquam per Judicem, ſi utraque conjugatorum perſona inſtanter urgeat, fieri diremptio talis. Videſ. *Ioach. à Beuſt, l. cit. p.* 56. *à & ſeq.* Sed anne honeſtum vulgo exiſtimetur, dubitatur adeo, ut utrique divertentium ignominioſum ſit.

Quod reputabat non ita pridem aliqua fæmina, quæ nupſit ſeni, partibus genitalibus adeo mutilo, ut pene aut virga omnino deſti-

deſtituatur. Seſe ad nuptialem congreſſum primum illico quidem deprehendiſſe gravem illum defectum; & ſe ſecundam eſſe, prædicabat, quæ ita decepta eatenus ab illo (nequam, addebat) fuit. Quid conſilii? inquit quamvis juſtam divertendi cauſam haberem, propter imminentem tamen ex divortio ignominiam, & mores ejus faciles, ac conditionem ſatis, pro mea ſorte, lautam (paupercula enim cum nuberet, virgo erat, ſed vegeta & non deformis;) malo defunctæ exemplum ſequi, & Deum precari, ut, quemadmodum hactenus ſine Libidinis æſtu cohabitare potui, porro me continentiæ dono beer.

Sicque locus datur iis verbis ſalutaribus, quibus celeberrimus vir, tunc Collega meus; utitur *Numero* II. Etiam meis, quibus tandem ſolutioni quæſtionis prioris finem impono: vix §. 83. & *ſeqq.*

Quod autem ad *corporis contactum* (ut ſpicilegium faciam, & plene tuis reſpondeam) inter eos, qui illo quo dictum, matrimonio junguntur, contingentem: *anne peccaminoſus, & illicitus*; valde dubito. Niſi, deficiente natura, per artem naturam imitari, & uſum Veneris fingere conentur: qualiter fieri norunt, quodquod Italorum aliorumque fœdiſſimam libidinem norunt. Quod

 maxime

maxime illicitum & peccaminoſum cenſeo. Cæteroquin nullam video rationem, quare mariti & uxoris, qualiter dictum, conjugatorum amica contrectatio, extra coitionis exercitium, peccaminoſa ſit, aut illicita? Quid enim agent, dum ſe mutuo amare videri volunt? Signis opus eſt & teſtimoniis: inter quæ *Geſtus*, *contrectationes* primum fere capiunt locum.

Item quod aliam in SENIORIBUS eſſe rationem aſſeris, quam in iis, qui *inepte coëunt*: fateor eatenus lubens, recte aſſeri. Nec mea alia fuit mens, dum priora ſcriberem.

Sed argumentum (§. 32. *epiſt. memoratæ*) unice ex eo deſumpſi, quatenus Matrimonia non univerſaliter contrahantur & ineantur, Libidinis ratione; ſaltem non *ſpe & intuitu Progenerationis*. Noſti enim tritiſſimum illud, omnibus ſanæ mentis laudatum, axioma:

Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor!

Sed *mutui* tantum *ſubſidii*, *auxilii* & *conſilii* cauſa ſæpiſſime contrahi obſervamus.

Nec vetat, quandoque *liberorum ſuccedere procreationem*; ſi nimirum ſenex juvenculæ fæminæ forte jungatur.

Uti nuperrime ſenem *octogenario majorem*, vidi (avum maternum affinis nunc mei Do-

Doctris. *Zahnii*, Judicis Unnenſis JCtum. & Conſulem Lunenſem, cui paucorum noviſſime elapſorum annorum ſpatio, uxor ætatis adhuc integræ *quinque* liberos peperit: quorum tres filios, & filiam unam ſuperſtites quoque cernere datum mihi. Imo etiamnum *ſextum* utero gerere arbitrantur fætum. Verum hoc ex raro contingentibus unum exemplum habe: quod tamen nemini non cum admiratione riſum movet.

Quid? in omnibus ſenioribus *Seminis emiſſionem* obtinere, eatenus dubito, quatenus in multis, ex ſecretioribus conſiliis, experior tantam (ſenibus fere propriam) frigiditatem, ut *penis extenſio* & *erectio vix obtineat*. Qua quidem minus obtinente, quomodo *ſeminis emiſſio*, *imprægnationi requiſita* fiet? Non fit, inquam.

Quinimo, dum *peccaminoſum* & *illicitum* cenſes *corporis contactum*, inter *inepte conjugatos* exercitum: licet animadvertere eam, quam ſaniores quotquot audio, Theologi dant cenſuram. Qua omnibus, vel *recte conjugatis*, cavendum volunt: ne ab iis *coitio*, aut *ſeminis emiſſio* fiat, citra intuitum aut ſcopum *progenerationis*. Alioquin illos peccati reos, quoſcunque tum juniores, tum adultiores, haberi & eſſe.

Quo poſito, quid de *Grandevis*, *decrepitis*,

extrema ætate (quæ Conceptionem à parte *fœminæ* recuſat, concepti Formationem, ordinaria Naturæ lege, negat: & à parte multorum *virorum*, emiſſionem ſeminis, Impregnationi ineptam probat; juxta ea, quæ in *Cognit. mea Med. Phyſiologica*, ſuo loco doceo) coëuntibus? Peccent quoque oportet. Sed hæc Theologico relinquo foro.

Denique quod ad SCtum. aut *Decretum Senatus Amſtelædamenſis*; facillime conjicere licet, quod utcumque reſpectus habeatur *Temporis*.

Ut, ſi intra LXXVIII. annum matrimonium ineatur, deprehenſo tali graviſſimo defectu, pœnitentiæ locus detur, & ſi *proxime* querela inſtituatur, matrimonium ut irritum dirimatur. Contra vero, ſi ad *ſeptennium* querela differatur: ne dicam intervallum *tredecim annorum*.

Et ſic, quæ ad *priorem* quæſtionem reſponderem, dilucidata habe. Quibus etiam demonſtratur, me non ſolum ad *ſenſum* quæſtionis ejuſdem atque alium *reſpondiſſe:* ſed *Objectionibus* quoque & tunc, & nunc motis feciſſe ſatis.

AD ALTERAM *Quæſtionem.*

Quæ ſcripſi, *Amice mi*, dum recolligo; quod *non intelligere ſenſum quæſtionis tibi videar.* Et, ſi ingenue eloqui licet, non videris

ipſe

ipſe ſatis attente legiſſe, quæ ego (clare quidem, & diſtincte (reſpondeo.

Et quamvis quam maxime poſſum temporis (utpote inæſtimabilis & operæ quæram compendium: non poſſum tamen non prænotare quod caſus alia in *prioribus*, alia in *poſteriorbus* literis fiat poſitio.

In *prioribus* enim indeterminate quæſiviſti: *An mulier poſt partum duarum prolium ita poſſit manere ut non detur viro ingreſſus*, &c.

In *poſterioribus* quæris: *An clauſtrum Vteri, partu jam bis relaxatum per naturalem partium ſubſidentiam & collapſum ita arctari poſſit, ut membrum virile non arctata admittat?*

Et, ſi quis recte obſervet, quæ reſpondi; clare percipiet, me *verba & ſenſum quæſtionis*, ante propoſitæ, ſatis *intellexiſſe.*

Sed conſideremus vel nunc poſitum quæſtionis ſtatum. Quæritur, inquis, *Coarctatio*, non à *cauſa præternaturali, ſed duntaxat naturali*. Eia! ſi rem recte putemus: dum *Coarctationem* dicimus, dicimus *morbum.*

Cujus origo *præter*, aut *contra naturam* ſemper obtineat, oportet, non *ſecundum naturam*.

Quod ſi verum; facilis eſt reſponſio ad eundem nunc poſitnm ſtatum: *quod non.* Id eſt, *nego per* NATURAM *partium* SUBSIDENTIAM & COLLAPSUM *ita arctari poſſe uterum, ut membrum virile non admittat.*

 Intelli-

Intellige autem Vteri *vaginam*: juxta ea, quæ *Quæſt.* 11. §. 6. prænotavi in prioribus meis. Cum in uterum ipſum membro virili ingreſſum non concedi, apud rerum harum gnaros receptum ſit.

Adeoque&ſic ſatisfactum putem tuo voto. Cæterum quantum ad tranſmiſſam obſervationem *Cometæ* anni hujus ſeculi LXIV. lætus fui, dum ejus me compotem viderem. Sed dum perlegerem, imperfectum· ἔκλυπον deprehendi, quatenus neque hiſtoriæ caput, neque caudam invenirem. Inſuper varia mutila ac deficientia. Ut, ſi archetypo gaudere per horas aliquot poſſem; facile, quæ deſidero, ſupplerem.

Utinam vel unum verbum Cl. D. *de Bye*, addidiſſet! Mira certe mihi videtur eſſe res. Ego etiam meis æque occupor, atque ille, negotiis: tamen non deſino tantum ſuffurari temporis, quantum amicitiæ (nominatim ubi de rebus ſeriis, & publicæ noſtræ rei perfectioni ſervientibus quæſtio fit) colendæ poteſt ſufficere.

Tractatum de *Coloribus*, juxta mentem mearum noviſſimarum per monaſterienſem nuncium datarum, & per amicum rememoranum, expecto.

De rebus autem *Politicis* ægre nunc ſcribo: alioquin facile quid ſcripturus, rerum præ-

præſentem ſtatum concernens, &, quæ eorum animis obverſantur, apud quos rerum in Gallia, Germaniaque ſumma datur poteſtas, declarans. Voto pio me finire convenit: voveo autem hoc unum ardentiſſimis præcibus, ut Deus, quemadmodum cum Anglis res dedit compoſitas, ſic ulterius det & præſervet Pacem in diebus noſtris.

Hiſce vale! & rem tuam, ac nobis communem recte gerere, & feliciter perge. Salvent & individua tua, nomine faventiſſimo meæ, & meo, qui maneo

Dabam Steinfurti
4. | 14. April.
M.DC.LXVIII.

Tuus
N. HOBOKENUS.

XIV.

Cl. D. *Giſverto Heckhuſio*, Med. Doct. & apud Amſtelædamenſes Practico, Amico ſuo ſingulari,

S. P.

Clariſſime Domine, amice deſideratiſſime,

ET ego ætatem præteriiſſe reor, à qua nihil à te accipere potuerim. Jamdudum quidem te Doctorem ordini nobiliſſimo ſolenniter adſcriptum lætus accepi, ſed per alios: in cæteris per reverendum, quem ſalutatum nunc reddidi, D. *Metternachium*, V.D.M.

V. D. M. noſtrum. Specimen promotionis hactenus videre nequivi. Ut tanto gratiores mihi, acceptioreſque tuæ noviſſimæ videantur, quanto per tarditatem expectatiores, & per *Inauguralis Diſputationis* acceſſum locupletiores. Et quod ego hactenus nihil ad priores tuas reſcripſerim, hoſpitii tui incertitudini acceptum ferendum potiſſimum habeto. Præterquam quod modo hæc, modo illa intercurrentia, & calamum cohibentia, negotia ſana cum ratione prætendere valeam: & dum mea bene meminiſti munia, facile fatebere.

Et ad ſingula reſpondere me, præſentis occaſionis non ſinit ratio. Placet mihi valde quam, quem video obiter à te obſervari, ratiocinandi tenor, etiam ſtyli elegantia, probandi methodus & rationis ordo. Ad rem quoque necdum video dicendum, quam quod rationi & experientiæ admodum convenientia deprehendam, quæcunque tradis. Si autem eo ſuper negotio perluſtratione repetitâ (quam certe in præſentia negatam video) quicquam minus ad palatum faciens meum, invenero, pro ea, quam noſti Philoſophis familiarem, libertate tibi reſcribam. Sed interim *theſi* LXII. obſervo, te citare *praxin* Cl. D. *Sylvii*. Quam velim mihi explices, qualis ſit; & ſi edita ſit, exemplum exopto ejus emptum mihi. In-

Inſuper, quandoquidem non ſemel hic audio, juxta Cl. D. *Sylvii* mentem, *cauſam Diaſtoles* Cordis dependere à *ſpiritus* cujuſdam *acidi*, cum ſale volatili conflictu, eumque ſpiritum cordis ventriculum ſiniſtrum *per ſecretos ductus* ſubire, & dilationi congruentem, rarefactionem ſanguinis eam excitare. Eoſque *ductus* ab eodem laudatiſſimo D. demonſtrari. Tu quæſo quicquid rei ejus rationem tangens, tibi innoteſcit, ſcribe, & ſi ductus iidem tibi demonſtrati ſint, quam optima ſpecie depinge & explica. Gratulabere mihi valdequam, & crede publico te id contuliſſe bono.

Et quandoquidem, jamdudum D. *Waaſbergio* mecum convenit de edenda mea *Cognitione Medica Phyſiologica*, & de *deſcriptione Fontis Bilfeldiani*, velim eum convenias, & promiſſi ſerio memorem reddas; rogeſque an non nunc factis dicta exæquanda veniant. Et quod reſponſum acceperis, per harum latorem amicum, velim tranſmittas. Interim ex voto vale, *Clariſſime Domine Doctor*; & crede me perpetim eſſe

Raptim Steinfurti d 10. | 20. Auguſti 1667.

Tuum

N. HOBOKENUM.

P. SC.

Etiam ſi poteris, Diſquiſitiones laudatiſſimi

ſimi D. *Sylvii de Febribus* mihi procura, & ſimul mitte. Si autem non omnibus ſupra rogatis reſpondere queas, præcipuis ſedes nunc reſponde. Et ne hæ inanes ac ſolitariæ dimittantur, adjunxi exercitationum mearum Phyſiologicarum *de ſede mentis ſeu animæ humanæ in corpore humano* primam. Quæ ſi placet, & quouſque geſtio quoque pariter intelligere. Vale iterum.

XV.

Nob. claſſ. & experimentiſſimo viro, D. *Nicolao Hoboķeno*, Philet Med. Doct. P. Prof. & aulæ Steinfurtenſis Archiatro,

Steinfurtum.

S. P.

Nobiliſſ. & Clariſſime Vir,

ACceptiſſimas veſtras literas ſub 10. ſt. v. *Auguſti* exaratas, die Lunæ, qui fuit 19. ſt. v. ejuſdem menſis dies, der amicum recte mihi traditas eſſe ſcito.

Quæ in mandatis mihi dare placuit veſtræ Claritati, quantum in me fuit, effecta reddidi illico. Incluſum faſciculum, aliquo modo quoad margines (currus forſan attritione) læſum, nova à me inducta charta reſarcitum, eo ipſo, quo accepi, die *Vltrajectum* nautis ordinariis

ordinariis tranſvehendum dedi ipſemet. Uti & Literas ad D. *Lamzweerdium* & *Waaſbergium*; vobis ut clarius, perfectius & certius reſcribere poſſem. Sed & *Lamzweerdius* & *Waasbergius* aberant domo. A quorum priore expectaram literas includendas his, ſed nullas miſit. *Waasbergius* per quinque præter propter ſeptimanas non fuit domi: quare etiam tertio demum iterata vice, cum ipſo loquendi locum invenire potui.

Et petenti mihi, ut ſe ipſum promiſſi memorem ſerio redderet, reſpondit brevibus: ſe nondum incepiſſe. Quo audito, vos tamen conveniſtis inter vos, regerebam. Dixit autem ille, taliter qualiter. Rogavi tandem, num quid literarum ad vos dare vellet? ſe jam, propter negotium non poſſe, inquit. Propediem autem & ad has ultimas, & ad priores reſponſum ſe daturum, promiſit.

Clariſſimi D. *Sylvii Praxis*, de qua ſcribit veſtra Claritas, necdum typos nacta eſt. *Tomi ejus primi* (in *tres* enim diſtinxit) *partem* habui ego in lucem editam; ut & omnes, qui mecum ſub ipſo habuere collegium practicum. Hoſpitii vero, & locorum mutatione perdidi; ita ut ipſemet opere, tam elaborato, & juveni Medico non minus utili, quam neceſſario, non niſi ſummo cum detrimento deſtituar. Quanquam ipſius praxin uſualem

per

per omne tempus, quo Leidæ ſtudio medico operã navare licuit, menti noſtræ præ impreſſam tenemus firmiter. Quam etiam neceſſitate ſic exigente, non ſine ſummo ſucceſſu, & noſtra, cum honore conjuncta, utilitate exercemus intrepide. Siſtet promiſſis: promiſit enim ſæpius. Hac æſtate *tomum ejus praxios primum* videbimus. Quem ubi nacti fuerimus, theſaurum ſane omnem totius ipſius Medicinæ nanciſcemur non ſatis dictu nitidum. Cum *poſteriores duo* primo (utpote fundamento unico, ex quo omnia, quæ in poſterioribus continentur, per conſequentias elegantes ac firmas ſunt deducta) ſuos natales debeant. Ubi vero audiero, editam eam *primam praxios ſylvianæ partem*, una cum Diſquiſitionibus ejuſdem procurabo lubens.

Verum eſt, *vir clariſſime*, quod *efferveſcentiam* ex *ſalinarum ſanguinis partium*, in *dextra* Cordis *auricula* primo, dein in ejuſdem ventriculo *dextro concurrentium conflictu*, deducat CL. *Sylvius*. Non autem exinde *Cordis diaſtolen* per ſe (id eſt ratione *partium ſalinarum tantum*:) uti velle videtur veſtra Claritas. Sed eandem ex *ſalium concurſu*, *admixta parte oleoſa*, *&c. Bilis*, &c. deducere conatur laudatus *Sylvius*. Abſque cujus admixtione nullam *Rarefactionem* admittit: & *abſque rarefactione, nullam Diaſtolen*. A quibus partibus vero,

verò, & perquas vias hi diverſi generis ſales ad Cor deveniant, aperire neceſſum non duco; cum quod vobis pernotum probem, tum etiam quod hujus mentionem non faciat, ac proin non expetat veſtra Claritas.

Ductus illos *ſecretos* quod attinet, *per quos iidem ſales cordis ventriculum ſiniſtrum ſubeant*, &c. me adhucdum non noviſſe, ingenue fateor. Quippe eoſdem etiam videre non licuit. Adeoque veſtræ expectationi minime ſatisfacere poſſum.

Undenam, & ex quo terrarum angulo ad CL. Viri aures pervenerit illorum ſecretorum ductuum ſecretus, mihi ſaltem, rumor; ſummopere ſcire expeterem: ut & ego ſciendi cupidus erudiri poſſem hac in parte. Certè, arripui veſtras literas ſæpius, & legi, & acutiſſima, quâ potui, mentis acie lectionem repetii. Me tamen extricare neutiquam potui.

Si conjecturæ locus eſſet; de illis ductibus, *per quos Bilis purior verſus Hepar, & hinc ad Cor defertur*, vos audiviſſe conjicerem. Quos CL. *Sylvius*, proponere auſus fuit, probabileſque, ex obſervationibus reddidit. Vocatque illos ductus *Hepaticos*.

Duplicem quippe *motum Bilis* certo ſtatuit. *Alterum* quidem per ductum inteſtinalem, ad *Inteſtina*: *alterum* verò per ductus hepaticos,

ad *Hepar*, & hinc ad *Cor.* Ubi *Bilis*, ratione ſalis lixivioſi aſcendentis, cum ſale acido deſcendente, admixtis aliis partibus ſanguinis, in cordis ventriculo *dextro* effervefcentiam cum rarefactione excitat. Unde Cor *Diaſtolen pati*, dictum eſt ſupra. Hinc continuata effervefcentia, ſolita & preſſa via per pulmones, non per ſecretos ductus (loquor ſecundum D. *Sylvii* opinionem) pergit ad *ſiniſtrum*. Ubi Cordis calore excitatur iterum ſanguis (in pulmonibus ab impulſo aëre nonnihil depreſſus) ad majorem effervefcentiam, cum ebullitione conjunctam. Et ſic ebulliendo diſtendit, diſtendendo irritat; irritando ſpirituum animalium influxum concitat: & ſic *ſyſtolem producit*, &c. Sic ego Philoſophor. Tuum erit dijudicare, num bene, vel male mentem veſtram conjectura aſſecutus fuerim.

Theſin de *Sede Mentis* primam, quam mihi mittere dignatus es *Clariſſime Vir*, legi, perlegi. Mera vidi Philoſophica; cum *Mathematica* potius, aut *Medica* expectaſſem. Grata nihilominus fuit: judicium aliis, me doctioribus, relinquo.

Hiſce me jam omnibus veſtris deſideriis ſatisfeciſſe, puto, pro modulo mihi à ſuperis conceſſo.

Unam interim, inter multas difficultates

ſuo

ſuo loco proponendas, habeo ego, quæ me miſere torſit hiſce temporibus; cum ſuperſtitionem potius, quam quid in re eſſe, dicerem.

Quare ſcilicet *toto* NONO *die Puerperæ in* DEXTRO LATERE *dormire cogantur hic Amſtelædami* (an aliis in locis etiam, neſcio:) *quanquam etiam ante illud tempus ſanæ videantur, & ſint, omniaque domeſtica peregerint?*

Quæſtio ſane, uti rara mihi, ita difficilis quoque fuit. Si, *clariſſime Vir*, hac ſuper Quæſtione ſingulare quid habeas (de quo non dubito,) quæſo eo animi candore, quo ego ſuperiora, communices. Hiſce vale, *Vir ſumme*: atque amare, ut cæpiſti, perge.

Amſtelædami,
1 Septembr.
ſt. n. 1667.

T. T.

G. HECKHUISIUM.

P. SC.

VOlebam meas obſignare: & ecce D. *Lamzweerdius* ipſe mihi ſuas includendas dedit. Prima vice dicebat, ſe vobis miſſurum librum de *Coloribus*, noviter editum: cum vero, me abſente, literas hoſpitæ noſtræ dediſſet; rogavi, num & liber fuiſſet additus? Et reſpondit, quod non. Rationes

M 2 forſan

forſan ipſe in ſuis illis ad vos datis, reddet. Iterum vale, *Vir ſumme*. Et, ſi quæ præterea in *Praxi* accurrunt ſcitu digna, mihi nova, vel non audita (nti ſine dubio permulta;) dato loco, communica, & grato communicaveris. Salveant noti!

XVI.

Cl. D. *Giſberto Heckhuſio*, Med. D. & apud Amſtelredamenſes in præſentia Practico induſtrio, amico ſuo ſingulari,

S. P.

Experientiſſime, & amiciſſime Domine,

TUas 1. *Septembr. ſt. l.* meis proximis reſpondentes, tam grate legi, quam avide accepi. Accepi autem & legi avidiſſime. Et tibi ſine ulla Ironiæ ſpecie reſcribam decet. Euge, bone vir! rem quam curandam volui, curaſti probe. Ftiam ſcripſit ad me Cl. D. *Lambzweerdius*, ſed verbo. Uti & *Waeſbergius* noſter.

Quidnam de editione *Cognit.* meæ *Medic. Phyſiologicæ* ſperandum ſit, ut & *Deſcriptionis fontis Bilſeldiani*, non latere te poteſt, per paucula, quæ nuperrime tanquam præcurſoria ad te dediſſe me, memini. Tu quæſo, amplius inſta, & quęcunque fieri poſſunt, mone ut Typographus faciat. Si non utrumque

que Tractatum ſimul, poſteriorem ſaltem (quem quidem in illis noviſſimis ſe propediem aggredi velle, promiſit) da operam ut quam citiſſime luci datum videamus. Initialia ſi qua impreſſionis ſuppetant, mitte ſodes prima occaſione.

Cæterum Clariſſimi noſtri *Sylvii* ea, quæ promiſiſſe dicis, ego ſane expecto ardentiſſime. Noli vel ullam intermittere occaſionem inquirendi, quid, & quouſque, prælo committatur à viro tanto; cujus induſtriam, laboris pertinaciam, ingenii acumen, Naturæ arcana indagandi & perſerutandi dexteritatem, injurius ſum, ſi non pluribus prædicem. Et quantum per ejuſce (uti & per aliorum optime natorum capitum) lucubrationes juver, proficiam; nunquam non libere fatebor. Juvor autem, ac proficio plurimum, & confirmor.

Ut quæ tu ad propoſitum dubium de *Diaſtoles Cordis cauſa*, producendi *ordine* ac *tenore*; de ſanguinis *Efferveſcentia*, ut & de *Biliſicatione* optime, ex ipſius mente, circumſcribis; paſſim deprehenderis etiam me inſtitutionibus in meis Medicis animadvertere, notare, docere, probare. Quinimo ea ſunt, quæ vel in, me Præſide, defenſis à te, à D. *Janſſonio*, & D. *Paſcheno*, exercitationibus noviſti ex inſtituti ratione doceri.

Nec aliud mihi conſtabat, nec per Rationem conſtare poſſe videbatur. Imo nihil aliud diſcere poteram ex Cl. *Sylvii Diſputationibus Medicis*, quadriennium fere editis. Verum cum à fide digno viro (quem in prioribus meis nominavi) mihi ex tuo ore hauſtum referretur; novitate non tam, quam obſcuritate hiſtoriæ motus; non potui non ex temet reſciſcere, quidnam ejus rei, in confabulatione veſtra, Leida Harlemum petentibus actum fuiſſet.

Ut egomet nullos alios *ductus* admittam, quam ante admiſi: nullos alios tradendos videam, & probandos, quam quotidie doceam, tradam, probem; eoſdem puta, quos à te delineatos lego, & ipſemet laudatus D. *Sylvius* delineat, D*iſputationum allegatarum* III. §. 4, 5, *& ſeqq. p.* 25. 26. &c. Nullam etiam D*iaſtoles Cordis cauſam*, nullum *ordinem* ac *tenorem*; nullam aliam *Fermentationem*, nullam aliam *Bilificationem*, quam in meis qualibuſcunque jam dudum definivi, & interpretatus ſum, Inſtitutis.

Hoc autem videbis amplius animadverſum, in *Cognit.* mea cit. *Phyſiologica* (*ſub ſect.* II. *cap.* I. *part.* IV. *art.* 2. *capit.* 2. *Punct.* V. *num.* I, §. 5, *&* 6.): quod inter *Fermentationem* & *Efferveſcentiam* agnoſcendum & notandum velim tantum diſcrimen; ut *Fermen-*

men-

mentationem ſolummodo *naturalem* doceam, *Effervеſcentiam* vero *præter* corporis humani *naturam accidere*. Et probabo amplius in Cognitione mea *Pathologca*, ubi de *Febris natura* acturus ſum ex profeſſo.

Adeoque gratam quidem *Fermentationis*, *ſanguificationis*, *Pulſus* & *Biliſicationis* cauſæ, ordini ac conditioni deſcribendis navaſti operam; ſed mei reſpectu catenus non nenеceſſariam, quatenus prætergreditur propoſitum meum, & controverſiam: quæ erat *an ne ſpiritus ille acidus* PER SECRETOS DUCTUS, *Cordis vel dextrum, vel ſiniſtrum ventriculum ſubiret; nec ne?*

Ut ſufficiat, & vel eo abunde ſatisfeceris, quod retuleris tales, quales nec ego ſcio, nec ego invenio; Cl. noſtrum *Sylvium* quoque non demonſtraſſe, nec te demonſtrari vidiſſe *ductus*, ab amico prædicto *ſecretos* appellatos.

Porro quantum ad exercitationem meam *de* SEDE *noſtræ Mentis, in corpore*: placet ſententiæ tuæ liberalitas, & loquendi ingenuitas. Recte à me *Mathematica* & *Medica* expectas. Sed cauſam, quæ me moveat ſubinde à conſueta, & ordinario ſubjecta materia digredi, ſi conſideras: non niſi ratum dixeris, tale quid me agere, quod vel Philoſophum purum putum ſapiat. Ne dicam

ipſam *Mathematicam*, Philoſophiæ talem partem eſſe, quæ, niſi heterogeneis nonnunquam ſocietur contemplationibus, Profeſſori jejuna, triſtis imo non infrequenter tædioſa valde deprehenditur. Noſti axioma vulgatiſſimum: VARIETAS DELECTAT.

Imo (cum omnium *artium* & *ſcientiarum* noveris, *concatenationem*, *unionem*, *mutuam opem* ac *perfectionem*; à me quidem ad Profeſſionem auſpicium, quantum res, tempus & occaſio ferebant, probatam) Medicæ noſtræ artis partem priorem, *Cognitionem* Philoſophicis ejuſmodi ſpeculationibus mirum quantum perfici, nullus dubitet oportet, qui dedita opera animum advertit.

Quinimo vel præſens hæc de *Sede Mentis*, Diſquiſitio, ejus obſervatur uſus & utilitatis in *Medicina*, vel ipſa in *praxi*; ut nihil determinate ſciamus de Hominis *Actionibus*, Actionum *differentiis*, *ordine*, *regula* ac *regimine*; de *Corporis* humani *natura*, & *Temperici* ac *Conformationis* conditione genuina. De *natura* certe *humana* nil quicquam recte ſcimus, niſi eam recte diſquiramus indagemus, inveniamus ac cognoſcamus *Relationem*, qua Mens refertur ad Corpus, & Corpus verſa vice ad Mentem; in ordine ad *Hominis conſtitutionem*, *præſervationem* ac *perfectionem*. Et ubi nihil eorum recte ſcimus, quid

quid agemus recte? quomodo *Homini* medebimur? quomodo *valetudinem* ejus vindicabimus? quomodo *corporis ſanitatem* conſervabimus, *morbos* profligabimus? Cum ejus ſit curare poſſe, cujus eſt ſcire. Sed hæc verbo: cum alibi prolixius ſim animadverſurus, eumque uſum, paſſim facta applicatione demonſtraturus.

Vides, *amiciſſime Domine*, quam lubens coner probare, me, quæcunque ago non ſine ratione agere; & vel talibus ſpartam, quam nactus ſum, exornare. Quid? vel ipſiuſmet *Mathematicæ uſum* in dicta exercitatione non ſemel deprehendes, ubi ad ea, quæ de *Proportione* paſſim inculco, animum vertas. Uti & poſteriorem Exercitationis ejuſdem partem, *Anatomicis obſervationibus* plurimum niti experiêre. Verum pergo ad ſubjunctam à te.

QUÆSTIONEM,

Circa Parturientes regimen.

Quæris: *Quare toto* NONO *die puerperæ in* DEXTRO LATERE *dormire cogantur: quanquam etiam ante illud tempus ſanæ videantur, & ſint; omniaque domeſtica peregerint?*

Quæris II. *Anne ſolum Amſtelredami, an vero aliis in locis etiam?*

Et (I) *reſpondeo*: non ſolum *Amſtelredami:*

mi: ſed per totum *Belgium*, per totam *Weſtphaliam*, per totam *Germaniam* audio puerperis legem talem præſcribi. Verum illud obſervo diſcrimen, quo alibi *nono* duntaxat *toto die* puerperam ita cubare volunt, uti *Amſtelredami*, & aliis in locis; alibi *novem* continuis *diebus*, uti *hic terrarum*: alibi tam preſſe & ſevere *novem* illis *diebus*, ut ne lecto dimovere quidem puerperam licitum ſit, vel per quadrantem; uti *Duisburgi* ſaltem: alibi diutius præſcripta tali quiete; uti *Heidelbergæ*, &c.

Sed (II.) ubi ad *praxin* deſcendo, & hic ſaltem obſervatam illam legem animadverti: vix centeſimam puerperam audio, ei ſe ſubmittere. Sed aliam altero à parte die, aliam tertio, aliam quarto ea ageru incipere, ea tractare, quæ è re ſunt ſua. Per horas indies pauciores pluresque quatuor, quinque aut ſex (prout nimirum Corporis fert conſtitutio, & ordinariæ Dietæ regula) veſtibus indutas ſedere, ambulare, colloqui, &c. nulla habita diei *noni* ratione, nullo reſpectu.

Uti demonſtrat nunc ſecundo meæ indivi. duæ exemplum. Quæ vel altero à partu die per bihorium lecto reſurrexit, ſine miniſterio fere: ſicque indies (ſingulari ſane benigniſſimi numinis gratia) ſe habuit, ut per duas, tres, quandoque quatuor, aut quinque horas

induta

induta veſtibus ſederet, ad menſam mecum ſibi cupitis veſceretur, ante focum fere confabalationibus mulierculurum inviſitantium vacaret. Nunc decimum octavum diem prætergreſſa, maximam diei partem à lecto remota, variis rebus ſuum in cubiculo tempus fallit.

Imo audio, illuſtrem Comitiſſam *Teclaburgenſem* juniorem, uti & illuſtrem Comitiſſam *Lippienſem*, nil minus, nuperrime quoque egiſſe, quam et ſeſe legi tali alligarint. [Quarum *priorem* audio, altero, vel tertio à partu die, veſtitam interdiu fuiſſe; & deinceps quotidie deambulationibus, confabulationibus, &c. in hypocauſto ſe exercuiſſe. Diæta cæterum recte inſtituta. *Poſteriorem* vero, pro ſua (quæ rara adeo eſt, ut ſexum ſuperet) generoſitate ac fortitudine, ut cito peperiſſe, ſic à partu ſeſe talem probaviſſe, ut memoratam legem maxime eluderet: quippe quæ vel octavo die Convivio, ejus reficiendæ ergo inſtituto, admodum hilaris interfuerit. Tempus deficeret, ſi cuncta, quæ ſuppetunt exempla enarrarem.

Quinimo ſi *plebeculæ* hujus mores reſpiciam, nominatim *Ruſticarum*. Harum multas, niſi male admodum valeant, fere poſt partum mox ea agere experior, quæ familiaris ſunt regiminis. Quemadmodum, noſtratibus,

ſtratibus, præſertim delicatulis Amſtelredamenſibus mulierculis miram, hiſtoriolam audio: quam tu etiam non ſine riſu intelliges.

Noſti forte ex fama pauperculam ruſticam, ſuburbana in villa (in de Holcker Buerſchap) generoſiſſ. D. Comiti Steinfurtenſi, D. meo clementiſſ. ſervientem, quam die Kammerſche appellant. Noviſſimo hujus Puerperio (quod in Hiemem, ni fallor, præcedentem incidebat) mane civis Steinfurtenſis de re quapiam ruſtica cum colono, ejus marito acturus, villam intrat, fores adhuc clauſas pulſat, „Cauſam ne-„ſciens; ubi aperirentur, rogat hanc ruſti-„cam, quæ (propter mariti & liberorum „adultiorum abſentiam) ipſamet aperiebat: „quare fores ipſo mane ſerius ſolito claude-„rentur? anne nunc demum lecto ſurgis? „inquit. Non; reſpondit puerpera iſtæc. „Parumper recubui: *nocte præterlapſa peperi.* „'t Heb von de nacht een Kiend ekreegen! „Itane, reſpondit civis? itaque ad lectum „redi, & quieſce! Illa autem vix reſpondere; „ſed quietem ita alienam à ſe eſſe, demon-„ſtrare, ac ſi vel optime valeret. Imo ferme „ſeminuda, ac ligneis calceis induta, per „caſam, imo per villæ exteriora diſcurrens, „ſuos vocare, ea inſuper (quicquid conſu-

„leret

„ leret civis, de valetudine tuenda) agere, „ quæ vellet. **Ik moet wat t'etten voor „ uſſe leutt köcken** : inter alia regeſſit.

Et (III.) quod ad *Rationem* ac *cauſam*, hujus præcepti: etiam ego ingenue aſſero ; non aliter me cogitare, quam quod hoc negotium ſit *regni feminei*. Et plus quam notum & agnitum omnibus eſt, ubi femina regnat, omnia præjudiciis, opinionibus, conſiliorum nugis & quiſquiliis fere commiſceri; imo curarum monſtris ſæpe cuncta conturbari.

Ut, ſi hinc ſuperſtitionem adimas, recto in rem converſo mentis oculo; non poteris non (uti affirmas) affirmare, *rationem* adeſſe nullam, *cauſam* nullam, niſi imaginariam.

Et ne prolixior ſim juſto: tum *exemplo*, tum *Ratione recta* facile ejus præcepti *vanitas probatur*. *Exemplum* quidem ex præcedentibus petitum, demonſtrat exceptionem multiplicem ab hac regula, impune fieri.

Imo ſubit exemplum ſcopo præſenti convenientiſſimum uxoris *Iudæi*, hic degentis. Quæ noviſſimo (qui in menſis proxime elapſi *Septembris* initium incidit) partu, probe ſe habens diebus nonum antecedentibus, ipſo *nono die* optime rem gerere affectabat. In„ cumbebat, ſolicite admodum tecta, mol„ liſſimo lecto, lateri dextro; ſingulari quo„ que

„ que cura quoad cætera diætam ſervans, Ob-
„ ſtetrix, & puerperii cuſtos, quavis ejus præ-
„ cepti præconceptæ opinionis ſatis conſciæ
„ ac memores; dum rogarent: *quamobrem tam*
„ *ſolicite eo quidem die, & non ante, ſe gereret?*
„ *eo quidem ſitu, & non alio cubaret?* Reſpon-
„ ſum accepere: *ſic oportet.* Quid autem ſe-
„ quebatur? poſtero, inquam, nihilominus
„ die, & octo ſequentibus tam ægre ſe habere
„ cæpit puerpera, ut etiamnum viribus re-
„ cuperandis laboret. Ut ludibrio fere multis
„ fuerit, quatenus ſe omni malo liberam
„ fore prædicarat, ſi eum diem totum tam
„ ſolicite tranſegiſſet. Et ſic plura referrem,
ſi tempus pateretur, & inſtitutum

Quemadmodum etiam, quæ *Rationem*, ipſam, ac probatoria argumenta concernunt, lubens adderem; niſi animus eſſet agere ſingulari Diſquiſitione, de *Vulgi erroribus circa Generationis humanæ partiales actiones*, & *quaſi-actiones*: puta circa *Libidinem, Coitionem, Formationem*, ac *Graviditatem*; circa *Partum* & *Lactationem* Videbo quam primum ſuffurari liceat horulam unam atque alteram, quam huic negotio peculiariter impendam. Et tunc optatior occaſio naſcetur, quid de tuis de *Partu difficili*, in erudita Diſputatione inaugurali traditis, ſentiam, clare exprimendi.

Addi-

Addidiſſem quoque nonnulla, non tam nova, & inaudita tibi, quam *inſolito & infrequenter nobis omnibus obvenientia, practica.* Verum de iis proxime. Tu interim cogita, quidnam illi dubio reſpondendum videatur, quod nuperrime obvium, motumque mihi.

Si puta *gemellus detur Partus*, ſive *ſi gemini in lucem à puerpera edantur*; (1.) *quiſnam* ADULTIOR *dicendus? anne is, qui prior in lucem ex Utero prodit, an qui poſterior?*

Deinceps (2.) *cuinam* PRIMOGENITURA *vendicanda veniat, an ei, qui* TOTUS; *an vero, qui forte* PARTEM JUXTA ALIQUAM, *in lucem prior editur?*

Et reſponde quam primum poteris: quidnam autem ego reſponderim, ac ſtatuendum cenſeam, poſtmodum intelliges. Et, quemadmodum aliorum ſaluti ſtudes, tuam ne negligas. Vale ex voto

Dabam Steinfurti, d. xxvIII. Octob: ſt. v. M, DC, LXVII.

Tui

N. HOBOKENI.

XVII.

CL. V. D. *Nicolao Hobokeno* L. A. M. Med. D. & in almo Arnoldino, quod eſt Steinfurti, Prof. &c.

S. P.

Steinfurtum.

Clariſſime Vir,

SUmmi beneficii loco fuit, quod meis brevibus, tam promptis & dilucidis reſpondere non putaveris infra dignitatem. Quid, præter paratiſſimum ad omnia animum, retribuam?

Darem *praxin Sylvianam*, viri promiſſis ſi reſpondiſſent effecta. Undis negotiorum obrutus (uti facile noviſſe poteris, & ut ego ex acceptis nuperis intellexi,) non potuit nunquam ſatis à me laudatus vir. Multæ ninis ipſi ſunt remoræ. *Extra parietes* profeſſio publica, Collegium Noſocomicum (quod ſibi ſolum tres, vel ad minimum duas ſingulis diebus, nulla intermiſſa requie, poſcit horas) & praxis uberrima. Quorum ſingula per ſe hominem requirunt. *Intra* vero Collegium privatum, me præſente, & idem frequentante: & adhucdum, ut audio, frequentiſſimum. Quo finito, ſibi cum jam ſe redditum putat,

putat, ut ſepoſitis omnibus remorantibus impedimentis, ſuas ut ſalutaret in bonum publicum Muſas; ecce! ſalutatur ab, expectante jam omnino conjuge, ſatis formoſa, & ſatis (ut videtur) affabili. Jacent interim Muſæ ſpretæ, & quidem potiſſimum, propter malum illud neceſſarium, omni viro docto non uſque adeo utile. Sed ſiſto gradum. Liberalius forſan, quam par mihi fuit, locutus ſum.

Gaudeo quod de *ſecretis ductibus* convenerimus, & à vero ſcopo conjectura mea non abluſerit. Malo errorem procedere ex hiſtoriæ obſcuritate, quam ex obſcuris & falſis fundamentis. Quemadmodum hodierno tempore plurima falſa pro veris obtrudi nobis ſinimus. Aliis forſan intentus reverendi viri animus fuit, mecum cum de illis ductibus ſermonem miſceret; ut non tam in referentem, quam in audientem culpa, venialis tamen, devolvenda veniat.

Quæ de *Erroribus Vulgi circa Generationis humanæ partiales actiones*, &c. CL. veſtra meditatur, ea publici juris facere ne moreris. Dubio procul ars noſtra in plurimis hallucinatur, & hallucinabitur in multis, ni tuis aliorumque doctorum capitum lucubrationibus illuſtretur & locupletetur.

Efferveſcentiæ & Fermentationis illam *differentiam*,

ventiam, quam CL. vir prædicat, quibuſnam argumentis probare, quibuſve fulcris ſtabilire conetur, ſcire aveo.

Duos illos nodos, mihi diſſolvendos quos reliquiſti, quomodo enodare debeam, haud video; cum quia nimium reſecti ingenii ungues, quorum ope id alias poſſem; tum quia noſtri fori eſſe non videntur, eo præſertim quo propoſiti ſunt, modo. Quippe *Iuriſconſultos* potius, quibus de *Primogenituræ jure* diſputare incumbit; quam *Medicos* ſpectant.

Quia vero in prioribus datis loquendi liberalitatem, ſententiæque meæ ingenuitatem veſtræ Claritati uon diſplicuiſſe deprehendi: non ingrata vobis fore etiam putavi, ſi, quæ circa propoſita dicenda habeo, illa meo more perſequerer.

Dubium prius.

I. Quærit CL. vir: *ſi gemellus detur partus, ſive ſi gemini in lucem à puerpera edantur; quiſnam* ADULTIOR *dicendus? anne is, qui* PRIOR *in lucem ex utero prodit, an qui poſterior?*

II. *Cuinam* PRIMOGENITURA *vendidicanda veniat; an ei, qui* TOTUS, *an vero qui* PARTEM *juxta* ALIQUAM *in lucem prior editur?*

Meam juxta opinionem (aliorum enim placita adducere, frivolum, & plane ſuperfluum

fluum duco: nec vos quicquam illorum expetitis) quid judicandum cenſeam, de *priore Quæſtione* paucis ſic habe:

I. Luce meridiana clarius patet hujus ſententiæ veritas, verba ſi, ut ſonant, *abſolute* ſumantur. Norimus enim, & paſſim obtinet Naturæ lege, quod ille *adultior* ſit dicendus ex geminis, *qui prior editur*. Res ipſa loquitur.

Ponamus verbi gratia, duos homines de *itineris celeritate* certantes: ponant ſuſpenſo præmio metam, tribus horis, pedibus vel equis (perinde enim habeo) emetiendam. Quam qui prius tamen attigit, victor diſcedat; victus vero, qui deinceps. Horum alter jam decem, alter vero undecim quadrantibus propoſitum abſolvat curriculum; cuinam jam debebitur præmium? an illi, qui *undecim*, an vero illi qui *decem* quadrantium ſpatio attigit metam? Ego illi qui *decem*, ut legitimo victori, darem. Et quare? quia prior, inquam, tempore fuerat; qui namque prior tempore (talis enim erat certantium conditio), potior jure eſſet: id eſt victor haberetur.

II. Sin vero vox ADULTIOR *non abſolute* ſumatur; alia majoris indaginis exoritur Quæſtio; ſi nimirum quis diſtinctionem faciat inter illum qui *Conceptione*, & illum qui

in lucem editione adultior ſit. Sed mitto illam, in quam nolens volens incidi; quoniam eo non videris tendere. Nec ſummo ingenii acumine, hoc dato obiter loco, ſpeculanti mihi facere ſates potui. Qui vobis? Utinam mihi poſſes! vel ullus.

Hoc novi peritiſſimorum anatomicorum autoritate; quod, licet gemellos pluresve geſtent Utero fœtus fœminæ, *una Placenta* (inſertis diviſis locis funiculis, ſive cannulis, quibus mediantibus neceſſaria embryonibus ſubminiſttrantur) ſufficiat.

Non vero noviſſe potero, *cujuſnam concepti funiculus prius inſeratur.* An non illius, quod *prius concipitur?* Sic putarem in naturalibus Naturam ordinario procedere, ut quod prius conceptum erat, etiam prius radices in placentam agat. Quod ſi verum eſt (ſicut non pauci pro vero ſtatuunt anatomes periti), procedit meum aſſertum.

Sed quid illis obtrudemus qui *poſt Conceptionem, Matricem tam arcte claudi, ut ne ſpecilli aſſumen intromittat*; regerant? ſilebimus? ſilent profecto ora docta. Sequeretur autem vana eſſe, quæ de *Concepti prioritate* propoſueram. Quippe ubi Conceptio eſt abſoluta, ibi & interioris uteri orificii clauſio datur arctiſſima; nullas *ſeminis* (virilis *puta*) particulas admittens, ſed vel ſubtiliſſimas

ex-

excludens. Quibus deſtitutum *muliebre* ſemen, nullum unquam legitimum conceptum fuiſſe memini.

Manet ergo, ſecundum illud effatum (ſi per ſe ſemper verum eſſet, quod *una tantum ſit conceptio: id eſt, quæ uno tempore fit, poſtquam Vterus ſeſe conſtringendo, ſemen retinet, fovet.* Et recte, ratione ſic ſuadente. Alioquin nulla conceptio fieret: ſed, medice licet injectum ſit ſemen optimum ſpiritibus turgidum, & quidem in fæcundiſſimum Naturæ campum; relaberetur, patente ſic orificio.

Concludunt proinde: quod *ſemel & una vice ab utroque ejectum, & rite in Vteri fundo commixtum, ſemen* (quod *Conceptum* voco) *in duas, tres, pluresve futurorum fætuum maſſulas ſeſe dividat; prout duas tres, pluresve, eaſdem parentum partes referentes, particulas exprimit: & non ſucceſſive unum poſt alterum.*

Verum enim vero, quid ſi implicatum illud dubium, hoc modo poſſet explicari? Dicamus, nos non negare, ſed potius affirmare, *Vterum poſt conceptum ſeſe claudere.*

Et quidem debere, propter ſanam præpoſitam rationem. Interim tamen illo ipſo tempore (ignoſce, ſi quid liberalius) quo ſeſe invicem amplectuntur parentes, cur non in illo congreſſu, ut dicunt, dulciſſimo, illud interius orificium ſeſe tantillum aperiret

ſubtiliſſimis, cum impetu adventantibus ſeminis ſpiritibus.

Addo, quod hujus orficii illa, per rugas, unio ſit adhuc recens, & pro in facilior reſolutu. Non enim a me imperare poſſum, quod illico poſt conceptum partes illæ adeo firmis contrectentur vinculis, *aditum ut omnem, vel ſubtiliſſimo præcluderent corpori.* Habeat hoc locum in illis, quæ jam per menſes, aut per *ſeptimanas aliquot ingravidatæ* fuerunt; non in omnibus, vel frequenter coeuntibus.

Præterea hoc ipſum, quod dicunt; *hiante orificio relapſuri ſeminis metum ſubeſſe*, terret levi brachio percurrentes, minimeque examinantes: non autem illos tam, qui hic pedem figendo, rem penitius acerrimis mentis oculis introſpiciunt.

Credo profecto, quod illi, qui hoc ſtatuunt, ſtatim, auditis verbis: *patente orificio*, ſibi imaginentur *orificium interius, quoad omnes dimenſiones, convenire cum exteriore: æqualemque cum illo habere cavitatem.* Quod ſi probaſſent, à partibus illorum ſtare, non dubitarem. Nunc vero *minime.*

Poteſt patere orificium interius advenienti ſemini, & poteſt eſſe ſatis munitum; ne quod fidæ uteri cuſtodiæ commiſſum eſt, refluat idem. Conſiderent ipſius Matricis *colli bre-*

brevioris ſtructuram, mirum quibus videtur hæc noſtra qualiſcunque ſolutio.

Sed quid ego inter tot candidiſſimos olores, quos tam ſæpe hæc inexplicabilis fere materia fatigavit, & fatigat, ſtrepo? Denegata adhucdum fuit experientia, in hoc ulterius inquirere. Cum pudicitia conjuncta modeſtia vetuit. Ratione ſola, remotis aliorum experientiis, rationeſque forſan ſubtiliores ſuppeditantibus, authoribus, quæ dico, expiſcor. Deſtruant, per me licet, haucce noſtram argumentationem, ædificentve. Meliora ubi porriguntur, gratis accipio manibus.

Plurimum tamen, ſi non omne, hic *Rationi* tribuendum cenſeo; cum hujus rei experientiam indagare loci profunditas in vivis deneget, oculoſque excludendo viſum eludat. Acquieſcant huic noſtro reſponſo! inque contrarium allato argumento ſit factum ſatis.

Ecce alia de novo adeſt difficultas: *Num* ſcilicet *prius inſertus funiculus, prius etiam ſolvatur?*

Ab hujus autem ſolutione maxime pendere *partus prioritatem*, autumo: ſed notis & novis relictis inſtantiis, in infinitum alias procedendum eſſet. Quod nobis non concedunt, jam inſequentia alia.

Dubium poſterius.

II. Accingo me itaque ad *poſteriorem quæſtionem*, paucis expediendam; utpote per ſe claram & perſpicuam.

Quippe *Primogenituram*, meo judicio, ille ſibi optimo jure vendicare poteſt, *qui totus in lucem prior editur*. Quamvis hic multum *uniuscujuſque civitati*, &c. jura peculiaria ſervanti, tribuendum putem. Nulla ingenii ſubtilitate hic opus habemus. Atque adeo nec ratione, ubi jure vel permittente, vel prohibente, res decernitur.

Attamen, ut dictum quod à me eſt, confirmem (ne temerarius videar, pro bene placito, quid pro quo decernens;) inter ejusdem commatis plurima, unicam ad illuſtrationem adducam exemplum, quod in *naumachia* illa, quam contra *Britannos* nuper geſſere *Batavi*, occurrit.

Accidit inter *tres naves bellicas*, quarum duæ *Hollandorum*, tertia vero *Anglorum* erat. Hollandorum altera primo invadebat in Anglicam navim tam acriter, ut dubia diu eſſet victoria. Quare tandem, bellicis laboribus ab utraque parte defeſſis nautis, diſtractæ ſunt. Altera Batavorum hoc videns, intrepide Anglicam, ſimulac à priore Batavorum nave derelicta eſſet, adorta eſt: & brevi poſt jam ſemidevictam, devicit omnino.

Quænam

Quænam autem, rogabis, victoriam, & victoriæ præmium patriæ Patrum decretione reportavit? *Qui perſeverat in opere, coronabitur*: non qui in medio curſu, currere deſinit. Quid ſi prior Batavorum navis vel tantillum adhuc pugnaſſet, dubio procul ab illius parte victoria fuiſſet. Quoniam vero pugnam inceptam non abſolverat, victoriæ palma ipſi non porrecta fuit, licet illam maximam viæ partem affectaſſet.

Hæc ſunt, *Clariſſime vir*, quæ pro ea, qua fruor, ingenii tenuitate, veſtris Quæſtionibus reddenda habui: quæque ad Judicii tui tribunal ſiſtens, tuum etiam judicium expeto.

Partem veſtræ *Orationis*, & *Deſcriptionis fontis Bilfeldiani*, tandem typis mandatam & expreſſam, legendam urgenti mihi dedit *Waasbergii* filius. Perplacent, quæ edita ſunt. Placebunt itidem ſequentia, quorum copiam brevi promiſit idem. *Fontis virtutibus & utilitatibus* ex unica lectione intellectis, præcipitante calamo quoddam, Medicorum more politum, *carmen* addere libuit. Hiſce vale neque tibi addictiſſimum amare ne deſinas. Quod exopto

Raptim Amſtelædami,
21. Decembr. ſt. n.
M. DC. LXVII.

T. T.

GISB. HECKHUIS.

XVIII, & ult.

CL. D. *Giſb. Heckhuſio*, Med. D. Et apud Zevenarienſes in præſentia Practico induſtrio, Amico ſuo ſingulari,

S. P.

Experientiſſime, & Amiciſſime Domine,

TUas xv. *Novembris* anni elapſi *Amſtelædamo* datas, humanitatis & officii tui plenas, opportune reddidit nuncius. Uti & deinceps illas prolixas, quas xxII. *Decembris* ſcripſiſti. Ad quas quod nondum reſcripſerim, variis tum publicis, tum privatis intercurrentibus, meque valde diſtrahentibus & impedientibus negotiis imputes velim: cæteroquin noſti promptum ſemper, & optime cupientem tibi animum meum.

In cæteris iter noſtrum Unnenſe (quo glorem meam juniorem, viduam *Rhademakeram*, nunc nuptam Nobili & Conſultiſſ. D. *Balthaz. Caſparo Zahnio*, J. U. D. &, Judici Unnenſi, Domicilii ſui locum Petentem comitarer) tantum effecit, ut & tuas xx. *Februarii* noviſſime elapſi, *Amſtelædamo* miſſas ante acciperem quam prioribus reſpondendi anſa mihi daretur apta.

Imo etiam nunc ad omnia ac ſingula reſpondere

ſpondere nequeo. Nec convenit quoque; cum Lapſu temporis & ſucceſſu, eorum nonnulla reſponſionem non exigant: quinimo aliqua, propter gratiam quoque magnam partem imminutam, fere ſilentio prætermittenda veniant. Et quantum quidem ad triſtiſſimam nobis mortem D. Soceri mei: ſatius mihi videtur, quammaxime poſſum, memoriam ejus reprimere, propter recrudeſcentem toties animi dolorem, quotieſcunque inde natum nobis damnum & incommodum recordor.

Et quantum dein ad à me propoſita tibi *Dubia*; omnibus & Singulis tam docte, tam eleganter & ſolide reſpondes, ut vanus ſim, ſi non Maximopere laudem. Quidnam autem ego de iis particulatim ſentiam, & quouſque à mea ſtes parte; Videbis inter ea, quæ de *opinionibus erroneis vulgi circa Generationis humanæ partialia*, quam primum meis vacare muſis datur optatius, quam quidem ad tempus datum fuit, ſcribere animus eſt.

Ibique, quæ PRIMOGENITURÆ rationem propoſitam tangunt, videbis eatenus *Philoſopho* & *Medico vendicanda*, ac *tractanda* incumbere, quantenus Medici, juxta cum Philoſopho, eſt agere de *Generationis*, & ſubordinati huic *Partus*, *natura*, *conditione* & *accidentibus*. Quicquid autem *ICtorum* eſt, non

non aliter locum capit, quam quatenus Juris eſt, uti agere de commodo, vel incommodo Primo, ſecundo, tertio nati, geniti hominis hujus atque illius: ita, quidnam ſuum cujusque geniti privilegium fert, & poſtulat; inquirere, dijudicare: & quod jure vel permittente, vel prohibente, decretum & ratihabitum eſt, vindicare, &c. Qua de cauſa etiam apud JCtos. quoad *Partus* & *Primogenituræ* genuinam naturam ac conditionem, à *Medicorum* teſtimonio argumentum ſolet deſumi.

Uti &, quæ *Conceptionis* & *Formationis* ſpectant genuinam naturam ac conditionem, clare & diſtincte pertractata videbis in *Cognitione mea Medica*.

Phyſiologia ſuo loco: & ſi quid diductum oporteat, diducam in promiſſa illa exercitatione de opinionibus circa hominis generationem. Præterquam quod de *Vteri conſtitutione poſt conceptionem* (*anne* ſcilicet *claudatur, necne?*) in iis etiam literis agam, quas ad CL. D. *Lamzweerdium* XXVIII *Martii*, anni hujus ſeculi LXV. dedi, & tu, ſi bene memini, tunc temporis Legiſti.

Quantum vero ad EFFERVESCENTIÆ & FERMENTATIONIS *differentiam*: miror te non reſpexiſſe eam, quam in prioribus meis reddo, rationem. Hoc ſupplenititur argumento, quod deſumitur ex notatu digna diſtictione

diſtinctione conſtitutionis ſanguinis *naturalis* à *præternaturali*. Ut, dum diſcretionis de diſtinctæ cognitionis ergo vocabula rebus imponuntur; oporteat & hic eatenus *Fermentationem* ab *Efferveſcentia* diſtinguere, ut illam generaliorem, & potiſſimum *naturalem* eſſe intelligamus: *hanc* vero ſpecialem, & non niſi *præter*, *aut contra* corporis humani, & ſanguinis quidem *naturam* contingere. Vide locum in memoratis meis, ad te XXVIII *Octobr*. datis, citatum. Cæterum quod Amſtelædamo tranſmigeres, doleo, ſi rationis conſiderem varias, quæ me tangunt: ſi vero, quæ te movent, animadvertam, laudo inſtitutum. Mihi enim ſemper placuit, & placebit ille animus, quo quis Mantuæ primus quam Romæ ſecundus eſſe malit. *Zevenariam* nondum vidi, ſed, quantum conjicere ex circumſtantiis licet, ſpes eſt tuæ promotionis, & commoda altius aſſurgendi via. Age itaque *Induſtriæ Vir*; tu ſtrenue perge, quo pede cœpiſti: & quam primum iſtuc veneris, & tuas res voto congruente compoſueris; intelligam ſodes, qua via literarium noſtrum excolatur commode Commercium. Habebis me perpetim tuis commodis deditiſſimum.

Accepi nonnulla *Deſcriptionis fontis Bilfeldiani* exempla. Vidi, & avide legi ſubjunctum tuum Carmen. Legi & laudari valde à Generoſiſſi.

roſiſſ. D. Comite, Domino meo Clementiſſimo, ipſe audivi. Si vero tibi ſuppetit ejuſdem hiſtorie Exemplum, bene eſt: alioquin velim unum à D. *Waasbergio* petas, meo nomine; quippe qui lubens vel nunc miſiſſem, ſi non exemplorum eorum defectus meus compeſceret animum.

Quod autem PHARMACIAM tangit: Pharmacopæjæ compendioſæ (quam optimâ ſane ratione affectas) inſtruendæ inſervire mihi videtur illa, quam *Archiatri Ultrajectini*, abhinc triennium præter propter, ex ſenatus urbici Authoritate ac mandato, typus publicis excudendam [a] dedere.

Et quæ deſideras, rariora, *ſcitu digna, omnibus non revelata, aut revelanda*; ea certe quæcunque mihi ſuppetunt, facile communicare volo. Quippe qui ſemper ridere ſoleo illos *arcanorum* aucupes, atque *ſecretorum* & *appropriatorum*, ac *ſpecificorum*, uti vocant, compilatores, qui laudi ſibi vertendum putant, ſi ſibi quid ſciant; & artis eſſe utcunque autumant, inventa celare. Imo illis me iraſci injurium non eſt: cum ii varia ratione injurii ſint. Tum proximo ſuo, tum arti noſtræ, tum imprimis Deo, eorum Largitori

[a] Viz. ejus titulus eſt: Pharmacopæja Ultrajectina, ſenatus autoritate munita, editio nova. Trajecti ad Rhenum, ex officina Gisb. Zylii, 1664. in lib. 24.

&

& revelatori benigniſſimo. *Proximo* quidem, cujus in commodum, pariter & noſtrum, cuncta vertere decet. *Arti*; cum tantum ejus, bonis omnibus capitæ, perfectioni detrahatur, quantum per ejuſmodi Κρύψιν corraditur reſervatur. *Deo* certe injurii ſunt; cujus laudi & gloriæ ſolum debetur, quicquid hic, ille, aut iſte (licet per induſtriam & dexteritatem) invenit, acquiſivit, poſſidet, ut & tantum gloriæ ac laudi illius deneget, quantum invide adeo occultat. Ut inquam *revelanda* omnibus ex artis jure judicem, quæcunque cogitata; inventa, animadverſa, obſervata, notata alicui ſunt. Et revelabo equidem data colloquii occaſione opportuna; cum tranſſcribere minus valeam, aut ſaltem arbitrio ac deſiderio tuo minus convenienter tranſmittere.

Et ſi dicam, quod ſentio: ego *rei medicæ* ARCANA fere pono in *recta Remediorum, Medicamentorum dignotione, præparatione, confectione*, ac *debita exhibitione & applicatione:* quemadmodum latius ac clarius animadvertere volo in meis *curatoriis inſtitutionibus*, ſuo loco. Et ea optime quemque artus aptum candidatum docet indefeſſus uſus, labor & exercitium frequens. Et, ſi bene te novi, non hærebit tibi aqua, ni hactenus quam navaſti, operam navare deſinas.

Recte

Recte autem conſultum arbitror, ſi conciliare tibi poſſis amanuenſem, famulumque *Germanum*, artis *Pharmaceutiæ*, in ſpecie *Chymicæ probarum*, *& jam dudum exercitatum*: cujus ope & auxilio, praxis tibi prompta ac facilis evadet. Imo commodiſſime directorium tibi ſuccedet, & tacite plurima ad expeditum artis illius exercitium facientia addiſcere, atque cum laude experiri cuncta licebit.

Memini etiam, *amiciſſime Domine*, me promiſiſſe in antecedentibus nonnulla *inſolito & infrequenter nobis omnibus obvenientia practica*: quo promiſſo ſi me nunc ſolvere recte poſſem, gratularer mihi non parum. Unum tamen atque aliud exemplum non poſſum non referre.

Habui varia HYDROPIS, PHTHISIS, TABIS, ASTHMATIS, PLEURITIDIS, PERIPNEUMONIÆ ABSCESSUUM, *lateris ſiniſteri*, etiam *dextri* exempla: quorum pleraque lethalia deprehenſa ipſo, quo me conſulerent, puncto. Uti noſti morum plebeculæ noſtræ, imo multorum, queis res anguſta domi non eſt; non ante medicum vocare, quam

Cum mala, per longas invaluere moras.

Etiam à *Caſu* periculoſe Læſos multos præterlapſo anno vidi; alios quidem, capite ſolum

ſolum vulneratos, alios brachii alterutro, vel utroque cum capite, læſos; alios miſerrime pedibus impingentes. Uti docet triſte valde exemplum cujuſdam *Pellionis*, hujus urbis civis, qui d. xv. *Octobr* ſt. v. mane ſumma ædium interiorum ſuarum, negotiorum ergo conſcendens, de ſuprema contignatione (prius in inferiorem, natibus; & dein in pavimentum, pedibus impingendo) decidit adeo, ut PEDUM STUPOR obtinuerit illico. Deinceps totius corporis ſubſecutus dolor, maxime lumborum & dorſi: & febricula, brevi tamen remittens. Dein Abdominis totius ingens & durus Tumor, Alvi quaſi adſtrictio.

Deinceps urinæ & ſecrementorum alvi inſenſibilis ſolutio, & quidem *urinæ Stillicidium* tandem fere continuum vexavit, uti & vexat etiamnum ægrum. Ut muſculorum Excretioni dicatorum, juxta cum nervis connexis, læſio clariſſime monſtraretur. Imo plurimorum, ipſius quoque ægri arbitratu, propter ſymptomatum plurium gravium concurſum, mortis ſubitaneæ candidatus habebatur, allegatis ſimilibus brevi defunctorum exemplis.

Verum, præter eorum opinionem, hucuſque ſuperviventem experimur; ita tamen,

ut Paralyſios inſanabilis pedum periculum adſit indubitanter.

Vulnera etiam *capiti* enſe inflicta, valde periculoſa, in milite uno atque altero nuperrime experior, probe ſanata.

Ægrorum *Vermibus inteſtinorum*, LUMBRICIS, in ſpecie *latis* etiam ASCARIDIBUS laborantium diverſa notatu digniſſima habui noviſſime exempla, etiam pleraque ſanata.

Et præterlapſo anno, nominatim *Æſtate* & *Autumno*, plurimæ febres acutæ, *intermittentes* & *continuæ*, variis ac gravibus adeo Symptomatis comitatæ, ut potiſſima pars interierit *nono*, *decimo*, *duodecimo*, *decimo tertio* & *quarto* ab invaſione *die*: uti inter alios heu! D. *Socer meus* ſuo exemplo docuit, quippe qui acutiſſima *Semitertiana* correptus, duodecimo ab exortu die animam ſuo reddidit Creatori.

Nominatim in pueros tunc ſæviebant *Eryſipelatoſæ*, *Varioloſæ* & *Morbilloſæ* FEBRES; quarum Eryſipelatoſæ in *ſcabiem* non raro terminabantur: Pleriſque tamen, quorum cura obtinebat debita, à naufragio quaſi evadentibus. Nunc autem univerſalis fere hic circumquaque graſſatur TUSSIS, *febre comitata*, pueris & infantibus adeo damnoſa, ut plerique moriantur.

Imo

Imo *Catarrhorum deſluxiones* nonnullis tam graves accidunt, ut præſentariæ mortis periculum incurrant. Quinimo non nulli quaſi ſuffocati, vel in momento fere interimuntur. Quemadmodum d. XVI. *Novembr.* anni præterlapſi exemplo ſuo docuit puer optimæ ſpei, Studiorum gratia hic degens, *Iacobus à Sceltinga* Nobiliſſ. Viri D. *Dan. à Sceltinga*, Grietmanni in Schoterland, Præfecti aggerum in Friſia, &c. Filius. Quippe qui primum de gravi capitis dolore conquerebatur, ejuſque ratione lecto impoſitus, vix per quadrantem (ſi bene memini) ſe reclinabat, ad ſomnum inclinans, quin illico exanimis deprehenſus fuerit, ſine doloris ulteriore ſenſu ullo obſervato.

Quo caſu oboriebantur frequentes de EPILEPSIA, præſertim de *Catarrho ſuffocativo* ſermones: *anne daretur, necne?* Quænam Catarrhorum ratio habenda, *quis ortus, quis procedendi modus, quæ via?* ſicuti in *cognitione mea Pathologica* videbo, num poſſim clare & diſtincte docere.

Etiam habuimus deplorandi illius, & funeſti morbi, qui peculiari de cauſa, merito vulgo *miſerere mei*, DD. à *convolvendo*, CONVOLVULUS (item *Chordapſus* eo quod qui manum abdomini dolenti admoverit, τῆς χορδῆς ἅπτεται, hoc eſt *Chordam attingere*

videatur: etiam à parte proxime affecta, inteſtino Ileo, *Ileos*, Græce Εἰλεὸς,) nominatur, duo notatu digniſſima Exempla, alterum in Illuſtri & Generoſa *Anna Amelia*, Comitiſſa de Benthem, quam vix per trimeſtre ſpatium nuptam, D. Comiti *d'Efferen*, in aula Caldenbrocenſi (menſe, ni fallor Auguſto) miſerrime, ſed pie, ſuum obiiſſe diem oculati narrant teſtes.

Alterum in generoſiſſima, hujus cognomine, ut & D. mei clementiſſimi Matre, D. *Anna Amelia*, Comitiſſa nata in Iſenburg & Budingen, illuſtriſſ. D. Comit. *Arn. Juſti*, Comit. in Benthem, &c. P. M Vidua, cui præterpropter quadriennium à Conſiliis medicis fui. Hæc enim illuſtris matrona (cujus certe fortitudinem nunquam ſatis mirari potui, nec recordari deſinam) tot per annos variis graviſſimis affectibus cruciata, *Arthritidis*, ipſi familiaris ferme, Paroxyſmo recens correpta, in, ſuperaccidente dein memoratum illum morbum, *Convolvulum*, incidit,& ſpatio fere viginti quatuor horarum, maximo cum præſentium dolore ac luctu è vivis diſceſſit. *Die* puta *ſaturni*, *poſtmeridiana hora ſemitertia* XVI. *Novembris* elapſi anni, ætatis agens annum LXXVI.

Vocatus autem ad communia conſilia erat Medicus Lingenſis, D. *Henr. Diphuſius*; quo

præ-

præſente adeo gaviſus ſum, ut noluiſſem eum non vocatum fuiſſe, cum alioquin in me forte redundaſſet, apud Aulicos (utpote rem talem ex affectu magis, quam recta ex Ratione æſtimare; & utcunque, nullo ante & alias benefactorum actorumve habito reſpectu, plus à Medico expectare conſuetos, quem revera expectari debet) non inſolenter tali caſu locum capiens, contumelia & opprobrium. Quam prudenter enim, accurate ac circumſpecte hic agendum eſſet, ubi de ſalute tam illuſtris capitis ſervanda ageretur, inaudiviſti quoque. Et tunc, eventu voto non reſpondente, *cur morbo iſto interiiſſet fortiſſima Domina, cujus nullum biduo ante præſagium fieret?* rogabatur.

Sicque (1) de *Convolvuli* natura, origine ac cauſis ſeria miſcebantur ratiocinia: reſpectu habito *Potionis purgantis*, quæ ipſo obitum præcedente die, circa meridiem ipſi D. Ægrotæ, valde (uti ſolebat quidem, utpote difficillime pharmaca aſſumens) reluctanti, à memorato Medico, me plane inſcio, exhibita erat. Et rogabatur: *anne Medicamentum ejuſmodi* CONVOLVULI *cauſa eſſe queat? nec ne?*

Item (2.) habito reſpectu ſeculi præſentis, & anni tunc labentis LXVII. ſermones incidebant de *annis Climactericis*.

Ut & (3.) de *Genethliacorum prognoſticis* ac *prædictionibus.*

(4) De *Præſagiis mortis*, & *Apparitionibus.*

Imprimis (5.) de *Colica paſſione* & *Hernia*, nominatim *Vmbilicali*: utroque enim hoc incommodo & diu, & graviter, magis minuſque, pie defuncta Matrona laboraverat.

Omnium autem accuratam dare hiſtoriam, nec per memoriam, nec per tempus præſens, nec per Epiſtolæ notam conditionem licet. Suo autem loco, in meis medicis inſtitutionibus ſingula ita conabor annotare, ut prompte intelligatur, quid Rationi rectæ, & experientiæ genuinæ congruum ac conſentaneum.

Habui (ut & hoc addam) etiam SPASMI PARTICULARIS exemplum obſervatu non minus dignum, in adoleſcente, textoris filio, xv. annorum, intemperie potuitoſa fere laborante: qui circa finem *Octobr.* dicti ſæpe anni, incidit in *Hydrocephalum* & *Anaſarcam*; & *poſticæ capitis partis dolorem vermiculatorium*, & ſubinde *punctorium*, & dolorem oculorum, à nimio incumbente humore, poſtmodum per oculorum eorum, narium & palati confinia diſſoluto & excreto, natum: item in *dolorem tenſorium pectoris*, imprimis.

Hypochondriorum, & in Nauſeam, cum vomitu frequente; quibus tandem ſucceſſit, &

& agmen clauſit, moleſtiſſimus *Spaſmus pectoris.* Qui omnes ſpectatores in admirationem adeo trahebat, ut incantationis ſpeciem ſibi proponi imperitiores imaginarentur.

Animus erat præſens, reſpondebat ad quævis optime. Quam diu autem ſupinus decumberet, *pectus* ſolitario (reliquo quippe, cum manibus, quieſcente) & crebro adeo ſurſum convellebatur, ut de intolerantia continuo quereretur miſellus æger. Imprimis quod continuis ſic vigiliis volens nolens vexaretur: Et quotieſcunque aſſurgeret, ſederetque in lecto, imminebatur adeo ſpaſmus ille, ut reſpirationis tunc libertatem quadantenus experiretur; quæ aliter per illum inordinatum & involuntarium convulſionis motum mirum quantum lædebatur. Verum hunc potiſſimum per *ſudorifera*, & *ſanguinem alterantia*; juxta cum *externis calidis* capiti adhibitis in cæteris per *ſuffumigium*, priſtino vigori redditum brevi poſt, obſervare licuit.

Ego vero illo caſu opportune animadvertendum duxi, *num ille ſpaſmus à propaginum nervorum Cerebri*, *an* C E R E B E L L I *affectu præternaturali dependeret?*

Et, ſi quod expiſcari poteram, ac dignoſcere, eloquar: videbam clariſſime indicia affectus Nervorum illorum, qui originem & propaginem *Cerebello* potius, quam *Cerebro* debent. Videſis ad hanc rem facientia apud CL. *Williſium*, *Anatom. Cerebri p. mihi.* 115, 116. & 119, 120, &c. Et in Pathologicis meis inſtitutionibus, quæ ſum de *Spaſmi* natura, conditione, ortu ac proceſſu, diſtinctum ſcripturus; evidentius, quæ *Cerebello*, quæ *Cerebro* competant, & vindicanda ſint, patefacient.

Itemque

Itemque ad ægrum LI. annorum, d. XXVII. *Septembr.* ejuſdem memorati anni, vocatus, qui jam per quatriduum & ultra, lecto affixus, SINGULTU vexabatur; ut vicini, cum ipſomet ægro, vitæ periodum jamjam adeſſe (ex eo nimirum, quod ſingultus in omni acuto morbo habeatur præſagium, & index inſtantis horæ mortis) judicarent. Reſpondi tamen & docui, hic exceptionem à regula obtinere; cum potiſſimum affecta pars eſſet *Ventriculus*: & ſummi Numinis beneficio, per pauca *purgantia* & *alterantia*, utrumque per *calida externa* adeo refeci, ut bene iterum valentem, & ſuo quæſtui faciendo aptum circa nonum diem viderent.

Et horum plenariam non ſcribo hiſtoriam, eorum moræ, qui ſuarum *Curationum* exactam adeo habent rationem, ut omnem circumſtantiam, omnem curationis proceſſum ordinatim enarrent. Quorum inſtitutum & laborem non culpo: ſed me certe id agere non ſinunt quotidianæ diſtractiones. Et, ſi libere iterum loquar, temporis quicquid lucrari queo, aliis potius conſcribendis impendere ſoleo: & impendo varias ob rationes, quas tibi præſenti aperirem, ſi poſſem. Tu, *induſtrie & docte vir*, vale his proſpere & hilariter, voto noſtri Pharmacopæji amiciſſimi, *Brantii*, &

Feſtinanter dabam Steinfurti, d. XXVI. Martii, ſt. v. DC. LXVIII.

Tui

N. HOBOKENI.

F. I. N. I. S.

A01 1460858

V.

Clariſſ. excellentiſſimoque Domino, D. *Thomæ Bartholino*, in Regiâ Hafnienſi Academ. Profeſſ. Honorario, & Fac. Med. Decano, &c. amico ſuo ſumme honorando,

S. P.

Excellentiſſime & Clariſſime Domine,

Jam quinquennium & quod ultra, eſt quod ex amiciſſimi noſtri *Blaſii* reſponſoriis intellexerim, te alibi ad meas XXVI. *Iunii*, anni hujus ſeculi LXIII. *Vltrajecto* datas, reſpondiſſe. Miror autem, quod non perceperim hactenus, ubinam illa reſponſio inveniatur. Et, nî per variam mearum rerum commutationem, ſtetiſſet; minime meo defuiſſem officio. Verum alia poſt aliam, & multiplex obnata mihi, Academica, Oeconomica, Politica moræ cauſa, fecit ut nunc demum noſtram reſuſcitare aggrediar amicitiam, illudque redintegrare coner commercium noſtrum literarium, quod avide adeo ambivi, atque tutò initum eſſe, valdequam gaviſus ſum.

Multa autem forent ſcribenda, ſi quæ

(Nota,) *Hanc epiſtolam per negligentiam, intermiſſam eſſe; adeoque ſub No. V. ſuo loco (ad pag. 98.) interſerendam.*

tanto temporis intervallo mihi obſervata & animadverſa ſunt, recolligerem. Verum nec Epiſtolæ patitur ratio, nec temporis fert brevitas; nec tuum credo votum eſt, ut quicquam eorum tangam. Imo variam ob cauſam præſtat omnia ſilentio involuta, præterire, quam aliqua duntaxat referendo, potiſſima forſan intermittere. Maxime, cum meum non ſit inſtitutum, hiſtoriam ſcribere. Quæ etiam luci noviſſime data ab aliis atque aliis noſtræ artis nobiliſſimæ cultoribus ſint, non eſt quod narrem; cum nullus dubitem, quin eorum probe gnarus, & conſcius ante fias, quam meæ ad te perferri hinc queant.

Quæ autem ego mea qualicunque, in artis ejuſdem, ac ſtudiorum reliquorum excolendorum gratiam, præſtiterim opella; non eſt quoque quod prolixe prædicem. Pauca ſunt, & fere meliorum præcurſoria. Ecce Deſcriptionem adjunctam *fontis Bilfeldiani*, ea ratione luci datam, qua in dedicatoria videre licet, epiſtola. Ecce meam de ***Animæ humanæ in Corpore humano ſede***, exercitationem. Ecce, quas nuperrime habui, *Orationes*. Quarum priorem quidem ſuppletam dabo, ſi benignus voluerit Deus, ulteriore diſſertatione, de *Medicinæ* prætenſa vulgo, & objecta nobis *imperfectione*, atque hujus

cauſis;

cauſis; ac de *perficiendæ* ejus noſtræ ſpartæ *modo ac mediis*.

Dabunt hæc perlecta, aliquam mutuo deinceps agendi anſam, ac copiam deſideratam. Habe igitur, *excellentiſſime Bartholine*, officioſi hæc, tuæque amicitiæ amantiſſimi, animi mei teſtimonia. Et eo, ſcio, pervolves animo, quo Philoſophum, Medicum, omnem à partium ſtudio, & affectuum lenociniis immunem (qualem me dedere, conor ſaltem, ſi necdum dedam) Cognitionis candidatum pervolvere decet: & pro ſolita quoque ingenuitate judicabis, judiciique tui ubertim participem me, confido, quantocyus reddes. Vale interim, & redamare perge

Raptim Steinfurti dabam in Muſeio d. XVIII Auguſti, ſt. v. M, DC, LXVIII.

Tuum

N. HOBOKENUM.

ORDO EPISTOLARUM,

Spicilegio contentarum.

I.

Nicolai Hobokeni literæ ad Thomam Bartholinum. *pag.* 69.

II. Hobokeni iteratæ ad Th. Bartholinum. *p.* 70.

III. Th. Bartholini literæ reſponſoriæ ad Nic. Hobokenum. *p.* 72. *& ſeqq.*

IV. Hobokeni reſponſoriæ ad Th. Bartholinum. *p.* 76. *& ſeqq.*

V. Hobokeni noviſſimæ ad Th. Bartholinum. *p.* 217. *& ſeqq.*

VI. J. Bapt. à Lamzweerde literæ ad N. Hobokenum. *p.* 98. *& ſeqq.*

VII. Hobokeni reſponſoriæ ad Lamzweerdium. *p.* 100. *& ſeqq.*

VIII. Joh. Henr. Heideggeri reſponſio ad quæſtionem à Lamzweerdio propoſitam. *p.* 130. *& ſeq.*

IX. Go-

IX. Gothofredi Spinæi reſponſoriæ ad N.Hobokenum. *p.* 132. *& ſeqq.*

X Lamzweerdii excuſatoriæ ad N. Hobokenum. *p.* 142.

XI. Hobokeni iteratæ ad Lamzweerdium. *p.* 143. *& ſeqq.*

XII. Lamzweerdii reſponſoriæ ad N.Hobokenum. *p.* 151. *& ſeqq.*

XIII. Hobokeni replicatoriæ ad Lamzweerdium. *p.* 154.

XIV. Hobokeni literæ ad Giſb. Heckhuſium. *p.* 171.

XV. G. Heckhuſii reſponſoriæ ad N.Hobokenum. *p.* 174. *& ſeqq.*

XVI. Hobokeni iteratæ ad Heckhuſium. *p.* 180. *& ſeqq.*

XVII. G. Heckhuſii iteratæ ad N. Hobokenum. *p.* 192. *& ſeqq.*

XVIII. & ult. Hobokeni tertiæ & noviſſimæ ad Heckhuſium *p.* 202. *& ſeqq.*

INDEX
Rerum & Autorum
ALPHABETICUS.

A.

Abangelis (Joh.) controverſia cum Theod. Aldes. Pag. 9. 148, 149.
Abenzina. p. 75.
Adultior fœtus quis dicatur? vid. Fœtus.
Agellius, ſeu A. Gellius. p. 73. 86.
Aldes. vid. Abangelis.
Amnios membrana. p. 15. 21, 22, 38. vid. & Membrana.
Ariſtoteles. p. 74.
Arteriæ Placentæ uterinæ. p. 19. & ſeqq. p. 37. Arteriæ Funis. p. 29, 30, 40, 41, 43, 44, 45. Arteriarum earum gemmulæ, aut noduli. p. 33, 41, 44, 45. Valvulæ earundem. p. 33, 41. Maculæ. p. 44. Arteriarum membranæ quî forment nodulos Funis? p. 44, 45.
Aſcitis exemplum. p. 147.
Aſtrologorum hypotheſes, & ratiocinia ad Partus diagnoſin, aut diſcriminationem an quid faciant? p. 90.
Avicenna. p. 80, 136, 137.
Authoritas in arte Medicâ & Philoſophiâ. p. 9, 10, & 82.

B.

Bartholinus (Th.) p. 9. 80, 88, 96.
Bella eruditorum noxia. p. 75, 92.
Beuſtius in Planitz (Joach.) p. 160, 164.
Beza (Theod.) p. 118.
Bilis motus duplex. p. 177. Eaque an deferatur verſus Hepar? p. 177, 178.
Blaſius. p. 69, 71, 74, 76, 91. 92.
Buiſius (Paul.) p. 112.
Burcholten. p. 118.

C.

Calculi veterum ab hodierno

no diſcrimen. p. 87.
Carteſius. p. 96.
Caſu ex alto graviſſime læſi exemplum. p. 209.
Catarrhorum de fluxiones, per pueri nobilis exemplum oſtunduntur. p. 211.
Chorion. p. 15, 22, 23, 38, 39. Vid. & Membrana.
Chylimotus. p. 74.
Cicero. p. 137.
Circulatio ſanguinis quid faciat ad Venæſectionem? Vid. Venæſectio in Vena. Circulationis ejus inventio. p. 77, 79. Anne Salomoni innotuerit? p. 94, 95.
Codex Jur. civ. p. 111.
Cohabitatio an, & quomodo à matrimonio diſtinguatur? p. 116, 117, 118, 131, 163. Vid. & Matrimonium.
Concepti pluralitas quomodo obtineat in Utero? p. 197. Vid. & Fœtus.
Conſenſus partium contrahentium matrimonium quid arguat, & creet? p. 110, 111.
Convolvuli duo illuſtria exempla. p. 212.
Criſis proceſſio, &c. allegatur. p. 83.
Cujacius. p. 89.

D.

Decimus menſis, anne partus tempus? vid. Menſis & Partus.
Delrio (M.) p. 90.
Deus agit omnia ex conſilio voluntatis ſuæ. p. 83.
Diaſtoles Cordis cauſa. p. 173, 176, 178, 181, 182.
Diemerbroekius (Isbr.) p. 97. 99, 129.
Digeſta, ſeu Pandectæ Jur. civ. p. 105, 107, 108, 111, 162, 163, 164.
Divortii cauſa quænam juſta, quæ minus? Vid. Matrimonium. Divortium quo jure nitatur? Ibid. nominatim. p. 111, 115.
Doctorum inventa, traditaque quomodo accipienda? p. 9. 10. Doctorum bella. Vid. Bella.

E.

Efferveſcentiæ à Fermentatione diſtinctio. p. 193. 194. Vid. & Fermentatio.
Effœtæ mulieres quænam dicantur? p. 128.
Evangelium Matthæi. p. 107, 109, 111, 115, 120.
Everardius (Anth.) p. 9, 83, 85, 86, 88.

Exterranei & exterricinei qui? p. 86.

F.

Fabritius. p. 150.
Fermentationis ab Efferveſcentia diſtinctio. p. 182, 183, 193, 204, 205.
Fernelius (Joh.) p. 84. 85.
Feſtus. p. 86.
Fœmineus ſexus an ſemper maſculino frigidior? p. 81, 82.
Fœtificationem quænam peragant? p. 127.
Fœtus ſexus an prędici poſſit? p. 73, 79, 80, 81, 82. Fœtus adultior quis dicatur? p. 195. Fœtus pluralitas quomodo locum capiat? p. 196.
Fontecha. p. 141.
Frigiditas Theologis caſuiſtis quid ſignificet? p. 102.
Funis, ſeu Inteſtinuli Longitudo. p. 25, 39. Craſſities. p. 26. Figuratio. p. 26, 40. Superficies. p. 27, 40. Color. p. 27, 40. Maculæ. p. 27, 33, 44. Inveſtitura & Membranæ. p. 28, 43, 44. Interior conſtitutio. p. 28. & ſeqq. Subſtantia. p. 28, 43. Vaſa quæ & quot? p. 29, 30, 33, 40, 42, 43. Funis cum Umbilico conjunctio. p. 46.

G.

Galenus. p. 138, 140, 141.
Geilius. p. 118.
Gemmulæ, aut Nodulii arteriarum. vid. Arteria.
Generationis negotium obſcurum & fallax. p. 10.
Geneſis Moſis. p. 108. 131.
Gothofred. JCtus. p. 88. 89.
Grotius (H.) p. 118.

H.

Halyabbas. p. 75.
Harvejus. p. 9, 85, 87, 95.
Heideggerus (J. H.) p. 121, 152, 161.
Hekhuſius. p. 145, 147.
Hieronymus. p. 95, 119.
Highmorus. p. 73, 78, 79.
Hildanus. p. 138.
Hippocrates. p. 73, 79.
Homerus. p. 86.
Hyſterotomia in uxore Aurifabri Pariſ. instituta p. 138.

I.

Impotentia ſeminandi? Vid. Seminandi impotentia.
Imprægnatio mulieris quæ requirat? p. 127, 135. Vid. & Fœtificatio.
Interpretes LXX. p. 44, 95.
Italorum fœdiſſima libido culpatur. p. 165.
Junius. p. 94.
Jus Canonicum. p. 131.
Jus humanum divino derogare nec poteſt, nec velle præſumi debet. p. 107, 119.

Kitze-

K.

Kitzelius (Joh.) p. 107. 112, 119.

L.

Levinus Lemnius. p. 84.
Liquor membranarum Placentæ. p. 23, 24, 46, 47.
Lympha. p. 74.

M.

Maculæ Funis. Vid. Funis.
Martianus (Proſp.) p. 87, 89.
Matrimonii natura, & quæ idem laudent, & indiſſolubile reddant? p. 103, 104. Definitio JCtorum. p. 103, 117. Matrimonii utilitas. p. 104. Scopus, ex mente JCti. &c. p. 105, 131, 161, 162. Delectabilitas. p. 105. Matrimonium politicum quodnam? p. 107, 108, 166. Matrimoniale vinculum quale eſſe dicat D. Servator? p. 109. Matrimonii dirimendi ratio an eadem cum illa, quæ eſt ejuſdem conſervandi, & indiſſolubiliter continuandi? p. 111. Diremptio ejus extra partium contrahentium voluntatem cadit, p. 111. Sacratiſſimum vocatur fœdus, Matrimonium. Ibid. Matrimonii dirimendi triſtis alia, alia turpis cauſa. p. 115, 116, 162.
Matthæus (Phil.) p. 162.
Medicina rationalis eſt. p. 80. Medicæ rei arcana in quibus ponat Autor? p. 207.
Membranarum Secundinæ humanæ numerus. p. 15, 21. Utriuſque diſtincta deſcriptio. Ibid. Membranis contentus liquor. p. 23, 24, 46, 47.
Menſis ſeptimus & nonus, naturalia partus tempora. p. 74, 83, 84. Decimus an? p. 73, 85. An etiam octavus? p. 85, 86. An undecimus & ulteriores? p. 87.
Mentis humanæ ſedes cognita uſum Medicinę affert. p. 184.
Mercurialis (Hieronymus) p. 84, 86, 137.
Mozius. p. 118.
Mulier an poſſit, poſt partum duarum prolium ita manere arctata, ut non detur viro ingreſſus? Et, ſi ſic arctata, an poſſit quidem imprægnari? p. 99, 122. & ſeqq. p. 133. & ſeqq. p. 153, 168. & ſeq. Weſtphalarum mulierum ſingularis mos, laboris pertinacia, & quietis impatientia. p. 187.

P 5 Naturæ

N.

Naturæ luſus. p. 80.81,82, 83. Naturæ humanę cognitio quid præſtet arti Medicæ? p. 184.

Naturalis partus quis? p. 83, 86.

Nodi, aut gemmæ vaſorum arterioſorum Funis. Vid. Arteria.

Novellæ Juſtin. conſtit. p. 89.

O.

Obeſarum mulierum omentum qualiter ſæpe ſe habeat? p. 124.

P.

Partus tempora quęnam naturalia, & quæ non? p. 73, 89. Partus hujus illiuſve cauſa an à Numero petenda? p. 88, 89. Partus gemellus ſi detur, quiſnam adultior dicendus, anne is, qui prior in lucem ex utero prodit, an qui poſterior? Et cuinam Primogenitura vendicanda veniat, an ei qui totus, an vero qui forte partem juxta aliquam, in lucem prior editur? p. 191, 194, & ſeqq. p. 200. & ſeq.

Paulus Apoſt. p. 83, 108, 109, 132.

Paulo Veneto an circulationis inventio tribuenda? p. 96.

Penis virilis an Uterum ipſum ingrediatur? p. 125. 142, 170.

Peramatus. p. 137.

Perſonata Doctorum ſcriptio culpatur. p. 148, 149.

Placentæ uterinæ figura. p. 14, 18, 35. Superficies & ejuſdem denominatio. p. 14, 36. Similitudo ejus cum ſpongia. Ibid. Conjunctio ejuſdem cum Chorio. p. 15. Magnitudo ejus juſta. p. 16. Subſtantia. p. 16, 18, 37. Color. p. 17, 18. Partes flaveſcentes. p. 18. Partes ejuſdem ex rubro liveſcentes. p. 18. Vaſa quot & quæ? p. 19. & ſeq. Declivitates & foveæ. p. 20. Placenta quotuplex in plurium fœtuum formatione obſervetur? p. 196.

Plato. p. 140.

Pleuritidis exemplum notatu dignum. p. 145.

Plinius. p. 74.

Primogenitura cui gemellorum vendicanda, an ei qui totus, an vero qui forte partem juxta aliquam in lucem prior editur? Vid.

Vid. Partus. Primogenituræ conſideratio ac dijudicatio, an JCtis an vero Medicis propria ? p. 194, 203.
Pſalmi Davidis. p. 106.
Puerperæ quare toto nono die, in dextro latere dormire cogantur; quanquam etiam ante illud tempus ſanæ videantur, & ſint; omniaque domeſtica peregerint ? p. 179. 185, 186. & ſeqq.

R.

Ratio norma & judex eſt inventorum & traditorum in Medicina & Philoſophia. p. 9, 10.
Rationalis eſt Medicina. Vid. Medicina.
Regius (H.) p. 79, 84.
Rejes. p. 136, 138, 139.
Rhodiginus (L.Cæl.) p. 89.
Riolanus. p. 86, 88, 142.
Ronſſeius (Bald.) p. 84.

S.

Salivalium ductuum diſtinctio, & inventio. p. 74, 93.
Salomonis Eccleſiaſtes. p. 94. Proverbia ejus. p. 105.
Sanchius (P.) p. 88.
Sanguinis circulatio. Vid. Circulatio.
Scaliger (J. C.) p. 89.
Schenckius (J.) p. 84, 86, 87, 88.
Secundinæ humanæ, cum fœtu fœminino excluſæ, particularia. p. 13, 14: & ſeq. p. 17. & ſeq. Ejus, cum maſculino fœtu excluſæ, obſervata. p. 35. & ſeqq. Vid. & Placenta.
Secretorum Medicamentorum, &c. aucupes & compilatores culpantur & refutantur. p. 206, 207.
Semen humanum, de quorum genere ſit ? p. 137.
Seminandi impotentia, an ſufficiens cauſa dirimendi Matrimonium ? p. 99, 101. & ſeqq. p. 130. & ſeqq. p. 151. & ſeqq. p. 156. & ſeqq. Quidnam per ſeminandi impotentiam poſſit ſignificari ? p. 101, 102, 156, 157. Ejuſque cauſæ quot & quæ ? Ibid. Seminatio quid ſignificet 157. Seminandi impotentia, matrimonium antecedens, vel conſequens. p. 152, 159. Seminatio an in omnibus grandævis obtineat ? p. 153, 167.
Seneca, Philoſophus. p. 75.
Sennertus (D.) p. 84.
Senum Matrimonium quale ? p. 108, 153, 166, 167. 168. Senis octogenario majoris,

majoris, & ſex liberorum, ipſa ſenectute, parentis exemplum. p. 167.
Sexus fœtus in utero exiſtentis, an dignoſci recte poſſit? Vid. Fœtus.
Signa diagnoſtica & prognoſtica Fœtus in utero. Vid. Fœtus.
Singultus in viro LI. annorum curati, ſingulare exemplum. p. 216.
Spaſmi particularis pectoris, exemplum notatu dignum. p. 214.
Spinæus. p. 128.
Stenonius (Nicol.) p. 70, 71, 75, 91, 92, 150.
Sturcius (Chriſt.) p. 162.
Sylvius (Deleboe.) p. 172, 173, 174, 175, 176, 178, 181, 182, 183, 192.
Syſtole Cordis, unde naſcatur. p. 178.

T.

Temporis natura & ratio, reſpectu Partus, qualis? p. 89. Vid. & Partus. Temporum hodiernorum diſcrimen à veteris Teſtamenti illis, quid faciat ad cauſam matrimonialem? p. 190, 110, 114, 116. Temporis ratio utcunque habenda. p. 119, 131, 162, 163, 168.
Tertullianus. p. 73, 85.
Tremellius. p. 94.
Tulpius (Nic.) p. 148.
Tuſſis, febre comitata fere univerſalis. p. 210.

V.

Valvulæ arteriarum & Venę in Fune, an Placenta? p. 30, 33, 41, 43.
Varietas Studiorum delectat. p. 183, 184.
Vaſa placentæ uterinæ quot, & quæ? vid. Placenta. Vaſa Funis, & umbilicalia. p. 29, 30, 33, 34, 40, 41, 42, 43.
Venoſa vaſa Placentæ. p. 19, 37. vid. & Placenta. Venarum contorſiones. p. 19. Venarum quaſi Anaſtomoſes cum Arteriis. p. 20. Vena Funis. p. 29, 30, 40, 41. Nulli in ea nodi. p. 30. Valvulæ an, & ubi? p. 30. Venoſarum in placenta obſervatarum ramificationum, à trunco Funi incluſo, differentia. p. 30, 33, 41. Venæ Funis membrana qualis. p. 43, 44. Venarum delectus in Venæſectione tollitur per Circulationis ſanguinis inventionem. p. 72, 73, 77, 78. Vid. & Circulatio.

Verſio

Verſio Arabica & Syriaca. p. 94.
Veſlingius. p. 9, 96.
Veteribus an cognita fuerit Circulatio ſanguinis? p. 93, 94. Vid. & Circulatio.
Virgilius. p. 73.
Umbilicalia vaſa. Vid. Vaſa. Umbilici cum Fune conjunctio. Vid. Funis.
Voet (Dan.) p. 83.
Voſſius (G. J.) p. 90. Iſaac. Voſſ. p. 96.
Urachus an in humano Fune, aut Inteſtinulo? p. 43.
Uterina placenta. vid. Placenta. Uterus an appetat ſemen? p. 131. An inferius ſe totum convellat in coitus fine? p. 140. Uteri clauſi & arctati quę cauſæ? p. 124, 125; 134. Uteri clauſio qualis poſt conceptum? p. 197, 198, 204. Anne per naturalem partium ſubſidentiam & collapſum uterus ita arctari poſſit, ut membrum virile non admittat? p. 169, 170. Vid. & Mulier.

W.

Wallæus. p. 79.
Weſtphalorum ſuperſtitio, ac odium contra Anatomiam. p. 144. Mulierum Weſtphalarum laboris pertinacia, & quietis, vel in ipſo puerperio, impatientia. Vid. Mulier.
Whartonus. p. 74, 75, 91.

Z.

Zacchias (Paul.) p. 84.
Zaſius (Nicol.) p. 80.

Supplenda & Corrigenda.

BENEVOLE LECTOR,

Per abſentiam Autoris multa irrepſere ſphalmata: nonnulla quoque intermiſſa, quæ interſeri oportet. Quæ ſi emendaris, & intermiſſa ſi ſuo loco inſerueris ante, quam lectionem aggrediaris; feceris Autori bene, imo gratiorem tanto tibimet conciliaveris traditorum uſum & utilitatem. Præcipua autem ſunt, quæ ſequuntur. Viz.

PAg. 7. linea 4. pro Doctoris, lege Doctori. p. 9. fin. l. lege CL. p. 14. l. 11. lege Maſſæ. p. 16. l. 13. lege diametrum.

diametrum. p. 18. l. 11. lege liveſcebat. p. 20. l. 8. poſt iiſdem, inſere quaſi. p. 22. l. 10, dele di, p. 27. l. 19. lege convolutionum. p. 28. l. 4. lege appellari. & ib. l. 14. lege traditur. p. 29. l. 6. lege, quod ad manus tactum unam. p. 33. l. 11. lege quouſque. p. 43. l. 5. lege memorata. p. 48. l. 2. lege ceteri. p. 52. ad litt. K. K. poſt valde, inſere modo rarius & tenuius. Et ibidem pro varia, lege varie. Ibidem ad lit. A. Fig. 2. lege qua abſciſſus. Ibidemque in fine lege interſtinctione. p. 53. l. 4. lege derivata. Ibid. l. 23. lege quaſi-anaſtomoſi. p. 55. l. 2, 3. lege propter. Ibid. l. 18. lege laxitatem. Ibid. l. 19. lege ac crebræ. p. 56. l. 21. lege quaſi-anaſtomoſibus. p. 65. l. 2. lege Maculam, p. 70. l. 2. lege Claritatis. Ibid. l. 11. lege Muſeio. Ibid. l. 16. lege Hafnienſes. & l. penult. lege tractatulum. p. 72. l. 24. lege Phyſiologicis. p. 77. l. 6. 7. lege Phyſiologica. p. 78. l. 17. lege ordinarie. Ibid. l. 26. lege ſuadetur. p. 79. l. 14. lege comperire. p. 80. l. 10. poſt præambulante, inſere, & comite judice. p. 81. l. 12. lege ἀποδεικτικὴν p. 82. l. 12. lege ζήτημα. p. 83. l. 2. pro huis. lege ſuas. Ibid. l. 18. lege Crileos. p. 84. l. 15. lege Paulum. p. 86. l. 11. lege antevertunt. & ibid. l. 14. lege prodeundo: uti &, antevertunt. p. 88. l. 11. poſt rectè, interſere, refert. & l. 14. lege Patavio. Et ibid. l. ult. poſt Cauſam, inſere aliqui. p. 91. l. ult. pro nihil, pone nulla. p. 92. l. 1. pro Quod, pone Quæ. Ibid. l. 16. lege συγκράσεως. p. 93. l. 18. lege fortaſſe. p. 97. l. 1. pro D repone d. & ibid. l. 13. pro veritas, lege Varietas. p. 98. l. 5. lege πράξεως. Ibid. in ſubſcript. tempor. epiſt. IV. repone pro A. St. & pro LXVIII. LXIII. p. 99. l. 3. poſt felicem inſere ac. & ibid. l. 5. lege tantam. p. 102. l. 9. lege mulieris. p. 106. l. 8. lege partus. Ibid. l. 25. lege quemadmodum. p. 107. l. 19. poſt cauſamque inſere hanc. Ibid. l. 24, 25. repone matrimonium nullum foret, quod, &c. Ibid. l. penult. lege multique. p. 108. l. 7. lege iniiſſe. p. 109. l. 13. lege impraegnari. Ibid. l. 20. pro &, pone ex. p. 110. l. 3. lege Naturæ. Ibid. l. 17. lege deleterio. p. 111. l. 7. lege indiſſolubiliter. Ibid. l. 8. lege Quoniam. & l. 10. lege συνέζευξεν. p. 113. l. 9.

l. 9. lege ſcapham. p. 114. l. 24. poſt tot, inſere quoque. p. 118. l. 14. ante utcunque, inſere deprehendetur. Ibid. l. 21. lege aliique p. 119, l. 12, lege quænam. & ibid. l. 15, poſt poteſt? interſere: Ut eatenus ſaltem diſparitas inter. p. 121, l. 2, pro ſi quid, lege quicquid. p. 123, l. 3, lege pli-carum. p. 126, l. 5, lege taliter. Ibid. l. 26, lege concedi. p. 128. l. 2, lege coitionibus. Ibid. l. 17, pro Et, repone Atque. p. 129, l. 4, lege redarguat. & l. 14, 15, lege Tra-ctatulum. Ibid. l. antepen. lege plurimam. p. 131, l. 15, 16, lege libens. p. 133, l. 8, lege ſymptomata. Ibid. l. 11, lege gererem. Et l. 17, lege judices. p. 134, l. 3, lege ſe-cretiorum. p. 136. l. 23, lege concipiendum. p. 137, l. 13, poſt formam ad, interſere, cavitatem, & fieri conceptum; etiamſi penem ad. Ibid. l. 16, lege formam. Et l. 28, lege admirandum. Et l. ult. lege exiguæ. p. 138, l. 15, 16, lege cœperat. p. 139, l. 6, lege calloſa. Et l. 25, lege præſertim. p. 140, l. 4, lege convellere. p. 143, l. ult. lege animad-verto. p. 145, l. 20, poſt utebar) interſere conatus. p. 146, l. 25, lege Decubuerat. & l. ſeq. lege triduum. p. 147, l. 11, 12, lege valeam: p. 148, l. 21, lege Theodoro. p. 150, l. 8, lege CONSTANTER. p, 155, l. 6, lege intellexiſſe. Idid. l. 26, lege fateatur. p. 157; l. 16, lege obtuſo. & l. ibid. 18, poſt Privationis, adde, non impotentiæ obtinet appella-tio. p. 158, l. 17, poſt enim, inſere eram. p. 159, l. 9, 10, lege Seminis. Ibid. l. 21. lege eidem. p. 162, l. 13, lege quæſivi. Ibid. l. 16, poſt tot, inſere quoque. Ibid. l. 18, lege Hypotheſi. Et l. 24, lege diſtinguendum. p. 163, l. 10, lege eundem. p. 165, l. 20, pro vix, pone viz. & l. 21, lege contactum. Et l. penult. lege quotquot. p. 167, l. 24, lege ſeminis. Et l. ult. lege Grandævis. p. 168, l, 20, 21, lege reſponderam. Et l. 23, ante atque, inſere alium. p. 169, l. 9, poſt manere, inſere arctata. Ibid. l. 14, dele arctata. Ibid. l. antepen. lege NATURALEM. p. 170, l. antepen. lege rememoratarum. p. 171, l. 6, lege precibus. Et l. 11, lege Salveant. p. 174, l. 3, lege ſodes. Ibid. l. 19, lege per ami-cum. p. 176, l. 2, dele præ. p. 178, l. 14, lege diſtendit. p. 180, l. 3, lege occurrunt. p. 183, l. 4, lege Pathologica. p. 184, l. 9, 10, lege Profeſſionis. p. 185, l. 21, lege Partu-rientis.

rientis. p. 156. l. 14. lege animadverto. Ibid. l. 17. lege agere. p. 187. l. 3. lege fabulationibus Ibid. l. 11. lege ei ſeſe. p. 190. l. 10. lege cœpit. p. 1, 2. l 9. ante ram, inſere tuus. Ibid l. 17. 11. lege nimis. p. 193 l. 4. poſt conjuge, inſere ſatis juve: i p 196. l. 5. lege ſatis. Ibid. l. 12. lege ſubminiſtrantur. Ibid l 23. lege acumen. Item lege regerunt. p. 201. l. 25. lege meque. p. 203. l. 15. lege eleganter, Et l. 17. lege ego. p. 204. l. 16. lege Phyſiologicâ p. 205. l. 2. pro de, repone ac. Ibid. l. 12 lege tranſmigres. Et l. 23, lege congruenter. p. 206. l 3. lege hiſtoriæ. Et l. 13. lege typis. p 207. l 4. lege cupitæ. Et l. 5 poſt corraditur, inſere ac. Ibid. l. 20. poſt Remediorum. pone ac. Et l. 21. lege artis. p. 208. l. 2. lege Pharmaceuticæ. Et l. 4. pro probarum, lege probe gnarum. Et l. 23. lege morem p. 213. l. 8. lege quam. p. 215. l. antepen. lege diſtinctim, p. 2 6. l. 11, 12. lege utcunque. Et l. 16. lege more. Reliqua, quæ forte occurrent, tu facile corriges & emendabis. Vale & his fruere.

NICOLAI HOBOKENI, *L. A. M. Philoſ. & Medic. Doct. Medicinæ & Mathematicæ in illuſtr Arnoldino Steinfurtenſi Gymnaſio, ordinarii Profeſſoris, & aulici Archiatri.*

EDITA HACTENUS.

I. NOvus ductus ſalivalis Blaſianus, in lucem protractus. Ao 1662. in 12. Ultrajecti. II. Manuductoria epiſtola ad Prudentiam politicam. in 12. III. ---- Item epiſt. de copia rerum verborumque inquirenda & conſervanda in 12. IV. ---- Itemque epiſt. de formando Indice rerum verborumq;. & autorum Ao. 1662. Ultrajecti. V. Deſcriptio fonctis Bilfeldiani Redekeri, ex Germanico Latinè reddita, & animadverſionibus aucta Ao. 1668. in 8. Amſtelædami VI. Exercitatio bipertita de Sede animæ humanæ in corpore humano. Ao. 1663. in 12. Arnhem & Ultrajecti. VII. Oratio de unione omnium ſcientiarum & Diſciplinarum, in 4. Ao 1663. Steinfurti VIII. Oratio de incompatibilitate, ſeu incongruentià Servitutis cum Philoſophiâ. in 8. Ao. 1668. Amſtelædami. IX. Oratio de abuſu in Med. , & de Doctoribus promotis proprio medicinæ faciendæ, & conſiliorum dandorum jure. in 4. Ao 1668. Ultrajecti. X Oratio funebris in obitum illuſtr. D. D. Comitis Philippi Conradi, Comitis Steinfurtenſis, &c. in 4. Ao. 1668. Ultrajecti. XI. Anatomia Secundinæ humanæ, quindecim Figuris, ad vivum propria Autoris manu delineatis, illuſtrata in 8. XII. --- Accedit Spicilegium Epiſtolarum, rem potiſſimum Generatoriam referentium. in 8. Ao. 1669. Ultrajecti. XIII. Sub prælo ſudat, lucem propediem viſura, ejuſdem Cognitio medica Phyſiologica, accuratiſſimâ, clariſſimâ & diſtinctiſſimâ methodo tradita. In 4. Ultrajecti: Et alia varia, tum Medica, tum Philoſophica, Mathematica quoque in ſpecie, prælo indies apparantur. FINIS.

A01 1460 858

Digitized by Google

Google

Digitized by Google

B 58.

XX
β 31